ADNOTATIONES
CRITICAE ET EXEGETICAE
IN LIBRVM RV̂T̲

EX VETVSTISSIMIS EIVS INTERPRETATIONIBVS
DEPROMPTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

SACROSANCTAE THEOLOGIAE LICENTIATI GRADVM
VENIAMQVE DOCENDI

AVCTORITATE ET CONSENSV

ORDINIS THEOLOGORVM SVMME VENERABILIS IN ALMA
VNIVERSITATE LITTERARVM PHILIPPINA

LEGITIME RITEQVE CAPESSITVRVS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XII MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXXI

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS HAMANN.
NEOSTRELITIENSIS.

CONTRADICENDI PARTES SOLLEMNES SVSCIPIENT

ALBERTVS KREBS, WEILBVRGENSIS SS. THEOL. LIC.
GVSTAVVS HVEPEDEN, CASSELLANVS SS. THEOL. CAND.
CAROLVS SCHIRMER, WETTESINGENSIS SS. THEOL. CAND.

MARBVRGI AD LOGANAM
ANNO MDCCCLXXI.

VIRO OMNI GENERE LAVDIS PRAECELLENTI

GVILELMO IVLIO MANGOLDIO

SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO
ORDINARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI

PRAECEPTORI EGREGIE DILECTO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

SVMMAE ANIMI PIETATIS SINCERAEQVE REVERENTIAE
TESTES EXSTARE VOLVIT

SCRIPTOR.

Comparanti mihi inter se vetustissimas libri Rût translationes ii loci earum cognitu et tractatu videbantur dignissimi, quibus hebraico textui clara lux affundi potest vel quibus veteres interpretes sive alias lectiones ante oculos habuerunt sive sententias verbave haud penitus perspicientes perperam verterunt. Nec pauci profecto eius modi loci possunt conferri. Sed cum mihi ipse proposuerim, exili illi quidem at certe aureolo libello Rût, qualis hebraice nunc exstat, comparandis vetustissimis eius translationibus lucis aliquid, si fieri posset, meapte opera afferre, eos in primis translationum locos colligere collectosque sive breviter tangere sive copiose tractare studui, quibus hebraici libri et sententiae et verba apte accurateque possunt explicari vel emendari.

Ad quod propositum diligenter persolvendum in comparationem cum archetypo vocavi ex iis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, vetustissimis Bibliorum translationibus potissimum hasce: Septuagintaviralem et una cum ea Aethiopicam et Syriaco-Hexaplarem, Vulgatam, Chaldaicam, Simplicem Syriacam, Arabicam, Graecam Venetam.

Sed priusquam ad librum ipsum ope vetustissimarum versionum interpretandum accedam, opus esse mihi videtur, paucis indicare, quas editiones illarum versionum triverim in hoc opusculo conscribendo.

Ac versionis LXX interpretum usus sum editione quarta, quam Constantinus Tischendorfius, criticorum, qui pertractandis Bibliis graece compositis operam navant, facile princeps, nuperrime apparavit [1]. Praeterea laboris adminicula interdum mihi praebuit professoris Turicensis egregie docti Fritzschii peculiaris libri Rût recensio [2], cuius libelli exemplar benevolentiae scriptoris acceptum

1) V. T. iuxta LXX interpretes. ed. Constant. Tischendorf. Ed. IV. Lipsiae 1869. 8vo.

2) Ῥοὺϑ κατὰ τοὺς Ο' ex recensione O. F. Fritzschii. Turici. DMCCCLXIV. 4to.

refero. Ex versione septuagintavirali, et quidem ex recensione Codicis Alexandrini, manasse versiones et Aethiopicam et Syriaco-Hexaplarem Pauli, Episcopi Telensis, inter omnes viros harum rerum peritos constat. Versionis Aethiopicae editionem, ut videtur, sane raram contuli, quam vir litteratissimus Nisselius ante duo saecula protulit [1]). Syriaco-Hexaplaris unicam editionem evolvi, quam studio et doctrinae clarissimi viri Thomae Skat Roerdami debemus [2]).

Versionum Vulgatae et Arabicae, de qua non dubium est, quin ex Peshîṭô confecta sit, iis recensionibus usus sum, quae in Bibliis Polyglottis Londinensibus volumine secundo exstant. In versione Chaldaica, cui nomen est Tărgûm, conferenda adhibui Biblia Rabbinica Ioannis Buxtorfii, edita Basileae a. MDCXVIII. Versionem Peshîṭô contuli et in Bibliis Briani Waltoni et in editione eius accuratissima, quam Societas Biblica Britannica emisit [3]). Denique versionis Graecae Venetae in unica eius editione [4]) inspiciendae copiam mihi suppeditavit praeclara bibliotheca Academiae Georgiae Augustae.

Sed iam ad ipsas transeamus adnotationes.

I, 1. בָּאָרֶץ

Recte supplet interpres Chaldaeus בְּאַרְעָא דְיִשְׂרָאֵל itemque Arabicus فِى أَرْضِ إِسْرَائِيلَ „*in terra Israëlis*". הָאָרֶץ enim est scriptori hebraico terra *κατ᾽ ἐξοχήν* i. e. כְּנַעַן cf. Gen. 12, 10. 1 Sam. 23, 23. 27. 1 Reg. 9, 18. 2 Reg. 3, 27. 8, 1. Jer. 26, 17. Joël 1, 2.

---

1) Liber Ruth, Aethiopice, E vetusto Manuscripto, recens ex Oriente allato, erutus, et latinitate fideliter donatus. Nunc primum *φιλογλώσσων χάριν* in lucem editus a Johan. Georg. Nisselio. Lugduni Batavorum. Typis et impensis Authoris. CIↃIↃLX. 4to.

2) Libri Iudicum et Ruth secundum versionem Syriaco-Hexaplarem, quos ex codice Musei Britannici nunc primum edidit, graece restituit notisque criticis illustravit Dr. T. Skat Roerdam. Havniae. Apud Ottonem Schwartz. MDCCCLXI. 4to.

3) V. T. Syriace. Recognovit et ad fidem cod. mss. emendavit Samuel Lee. Londini 1823. 4to.

4) Nova Versio Graeca Proverbiorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, Ruthi cet. illustrata a Johanne Baptista Caspare d'Ansse de Villoison. Argentorati M. DCC. LXXXIV. 8vo.

I, 1. בִּשְׂדֵי מוֹאָב.

Cf. I, 2. 6. 22. II, 6. Ambigitur inter recentiores interpretes, utrum שְׂדֵי sit num. sing. an plur. Rosenmüllerus in Scholiis suis, p. 436, et Gesenius in Thesauro suo, p. 1321, contendunt, שְׂדֵי esse stat. constr. plur. vocabuli שָׂדֶה, quem pluralem inter vetustissimos interpretes solus Graecus Venetus agnoscit: *ἐν τοῖς ἀγροῖς τοῦ Μωάβου*, sed plur. est semper שָׂדוֹת Ex. 8, 9. 1 Sam. 22, 7. Jer. 6, 12, stat. constr. שְׂדוֹת Neh. 12, 29. Bertheaus שְׂדֵי pro sing. num. quidem habet, existimat autem, שְׂדֵי esse aliam scribendi rationem pro vulgari שְׂדֵה — quam formam multi codices et editiones reapse exhibent — i. e. stat. constr. vocabuli שָׂדֶה, cf. Gen. 36, 35. Rûṯ 1, 6. 4, 3. Veteres interpretes formae שְׂדֵי inesse num. s i n g. recte statuunt; LXX: *ἐν ἀγρῷ Μωάβ* (item interpretes Aethiopicus et Syriaco-Hexaplaris), Syr. ܒܐܪܥܐ ܕܡܘܐܒ, Vulg. in r e g i o n e Moabitide, Chald. בַּחֲקַלָא דְמוֹאָב. Stat. absol. est שָׂדַי, vetustior forma et in sermone poëtico plerumque usitata pro vulgari שָׂדֶה, cf. Jes. 56, 9. Ps. 104, 11. Formas consimiles legas hasce: חַי et חֵי, Gen. 42, 15. Lev. 25, 36., גַּי et גֵּי Jos. 8, 11. 15, 8., דַּי et דֵּי Lev. 5, 7. 25, 28. et conferas גּוֹבַי Am. 7, 1. חוֹרַי Jes. 19, 9, nomina propria חֶלְדַּי Sach. 6, 10 et חַגַּי Hagg. 1, 1. et multa alia.

I, 2. וַיִּהְיוּ־שָׁם.

Vulg. m o r a b a n t u r ibi, idem quod וַיֵּשְׁבוּ שָׁם I, 4. Gen. 11, 31, sicut et hoc loco complures codices exhibent. Interpres Chald., ut regis Davidis maioribus splendorem quendam et auctoritatem subministraret, vertit: וַהֲווּ תַמָּן רוּפִילִין „*et fuerunt ibi p r i n c i p e s.*“

I, 3. וַתִּשָּׁאֵר הִיא וּשְׁנֵי בָנֶיהָ.

Sensus bene redditur in Tărgûm: וְאִשְׁתְּאָרַת הִיא אַרְמְלָא וּתְרֵין בְּנָהָא יַתְמִין „*et relicta est ipsa v i d u a et duo filii eius p u p i l l i*“.

I, 4. וַיִּשְׂאוּ לָהֶם נָשִׁים מֹאֲבִיּוֹת.

Pluribus verbis exponit hunc locum Chald.: וַעֲבָרוּ עַל גְּזֵירַת מֵימְרָא דַיְיָ וּנְסִיבוּ לְהוֹן נְשִׁין נוּכְרָאִין מִן בְּנַת מוֹאָב „*et migrarunt praeceptum verbi Domini et duxerunt sibi uxores peregrinas ex filiabus Moabi*“. Hanc explanationem sequentes maximeque respicientes locum Deut. 7, 1—3, haud pauci interpretes, רש״י, Sanctius, Bonfrerius, Calovius, Carpzovius, alii existimarunt, illud matrimonium repugnasse contra instituta Mosaica ob eamque causam fuisse nequaquam legitimum. Sed per iniuriam id contendunt,

etenim loco illo Deuteronomii tantummodo vetitum est, ne coniugium inirent Israëlitae cum C a n a a n i t i s. Quapropter optimo iure affirmare queas, matrimonium h. l. commemoratum prorsus iustum fuisse et legitimum. Ad confirmandam sententiam meam mihi praesto esse laetor duo testimonia Iudaeorum. Etenim in Tălmûḏ, Jeḇămmôṯ 76 b haec exstant: עמוני ומואבי אסורים ואיסורן איסור עולם אבל נקבותיהם מותרות מיד „*Ammonitae et Moabitae interdicti sunt eorumque interdictio est interdictio aeterna, sed feminae eorum sunt utique licitae*“. Fere idem legitur in Mĭḏrăsh Tehĭllîm, fol. 2 a. Atque R. ʾIḇn ʿEzrâ, doctor ille sapiens, ad locum Rûṯ I, 2 adnotavit haec: המואביות מותרות לישראל כי הכתוב לא אסר כי אם עמוני ומואבי שלא יבואו בקהל ושלא יקחו מבנות ישראל „*Moabit i d e s licitae erant Israëlitis, nam Scriptura* [*Deut.* 23, 3—4] *tantum vetuit, ne Ammoni t a e Moabi t a e que venirent in ecclesiam neve ducerent ex filiabus Israëlis*“.

I, 6. וְכַלֹּתֶיהָ.

Interpres Syr.: ܘܬܪ̈ܬܝܢ ܟܠ̈ܬܗ ܥܡܗ „*et duae nurus eius cum ea.*“ Addidit praeter vocem ܬܪ̈ܬܝܢ etiam ܥܡܗ, quae quidem vox et in hebraico textu est intellegenda: וכל׳ עִמָּהּ (cf. I, 7), quia verba et praecedens וַתָּקָם et subsequens וַתָּשָׁב atque שָׁמְעָה de sola Noomia dicta sunt. וַתָּקָם . . . וַתָּשָׁב haud male Vulg.: et surrexit, u t in patriam p e r g e r e t. Usurpantur enim h. l. imperfecta, ut firmum consilium redeundi significetur; itaque R. ʾIḇn ʿEzrâ recte supplet ad וַתָּשָׁב vocabulum במחשבת, „*in cogitatione*“.

I, 8. עִם הַמֵּתִים.

Qui mortui sint intellegendi, explicant interpr. Syr.: ܘܥܡ ܬܪ̈ܝܗܘܢ ܒܢ̈ܝ ܕܡܝܬܘ „*et cum d u o b u s f i l i i s m e i s, qui mortui sunt*“, et Chald.: עִם בַּעֲלֵיכוֹן שְׁכִיבַיָּא „*cum m a r i t i s v e s t r i s emortuis*“.

I, 10. כִּי.

Vocula כִּי h. l. potest abundans praeter necessitatem posita esse, ut Gen. 29, 32—33. Exod. 1, 19. 3, 12. Jos. 2, 24. 1 Reg. 11, 22, ad incipiendam orationem directam, velut Syrorum ܕ (cf. Hoffmann. gramm. syr. § 149, 5) et Graecorum ὅτι, id quod h. l. Graec. Ven. exhibet. Sed haec significatio ad hunc locum minus quadrare mihi videtur. Nec minus reicienda est sententia eorum, qui, velut Vatablus, censent, כִּי hic esse particulam affirmativam: ita, certe, profecto (1 Sam. 14, 39. 44.). Interpr. LXX — excepto

uno codice, cuius scriptor sensum recte exprimit voce *οὐχί* — (Aeth. et Syr. Hex.), Vulg. omittunt hanc particulam, quam fortasse arbitrabantur supervacaneam. Alii iique recentiores interpretes statuunt hanc ellipsin: „*cur fletis?*“ et ad hanc interrogationem mulieres inducunt respondentes: כִּי „*propterea quod*“ . . . . Quae loci interpretatio, cum longius repetita sit, sine dubio a textus hebraici simplicitate abhorret. Quid autem sibi velit illud כִּי, mea quidem sententia rectissime tradit interpr. Syr., cum vertat: ܠܐ ܐܠܐ ܥܡܟܝ ܢܐܙܠ ܠܐܪܥܟܝ ܘܠܥܡܟܝ „*m i n i m e*, *s e d tecum pergemus ad terram tuam et ad populum tuum.*“ Simillime locum expedit Chald.: לָא נְתוּב לְעַמָּנָא וְלְדַחֲלְתָנָא אֱרוּם אֱלָהֵן עִמָּךְ נְתוּב לְעַמָּךְ „*n o n revertemur ad populum nostrum et ad deum nostrum*, *s e d p o t i u s tecum revertemur ad populum tuum.*“ Nam haud ita raro particulae כִּי inest vis adversativa, quam in rem inspicere iuvabit praesertim Gen. 37, 35. Job. 31, 18. Quod autem in altercando mulieres genere dicendi hic utuntur adversativo, non miraberis, opinor, si luctuosae earum conditionis memineris; lacrimantibus enim et lamentantibus saepissime accidit, ut, cum prae lacrimis vix loqui possint, verba iactent abrupta et praecisa.

I, 12. כִּי זָקַנְתִּי מִהְיוֹת לְאִישׁ.

Bene explicat Chald.: אֲרֵי סָבִית מִלְּמֶהֱוֵי בְּעָלָה לִגְבַר „*nam natu maior sum, quam quae sim u x o r alicuius viri.*“

I, 13. הֲלָהֵן תְּשַׂבֵּרְנָה.

LXX: *μὴ α ὐ τ ο ὺ ς προςδέξεσθε* (itemque Aeth. et Syr. Hex.), Vulg.: si e o s exspectare velitis, Syr. ܘܐܢܬܝܢ ܡܣܟܝܢ ܠܗܘܢ, Chald. הֲדִלְמָא לְהוֹן אַתּוּן מְתִינָן, Graeca Veneta: *ἆρα σ φ ᾶ ς περιμενεῖτε.* Contemplantes has veteres vocabuli לָהֵן interpretationes, in eam sententiam adducimur, ut putemus, interpretes illos censuisse, לָהֵן idem valere ac לָהֶם, itaque eos statuisse permutationem generis. Namque retulerunt vocem substitutam לָהֶם ad בָּנִים in versu praecedente, sicut referunt לָהֵן R. ʼIbn ʻEzrâ et R. ʼAbĕn Mĕlĕk. Quae interpretatio, quamquam sententiam versus haud male expedit, tamen cum genuina significatione vocabuli לָהֵן prorsus non consentit. Ne autem quicquam praeteream, obiter commemoro, לָהֵן, si esset scriptum pro לָהֶם, certe insigniendum fuisse vocali sĕgôl sub littera ה, non autem vocali ṣērê, quam editiones, quotquot ego inspexi, praebent omnes. Ac significatio vocabuli hebraici לָהֵן perfacile eruitur ex sermone chaldaico, in quo לָהֵן est voca-

bulum satis vulgare et declarat: ad eas res i. e. propterea, Dan. 2, 6. 9. 4, 24., pro quo adverbio Hebraeis usitatius est לָכֵן, Iud. 10, 13. 1 Sam. 3, 14. Job. 32, 10. 34, 10. Genus femininum, quod in לָהֵן exstat, neutri generis loco est usurpatum, cf. לְזֹאת Gen. 2, 23. 34, 15. Ex. 9, 16.

I, 13. הֲלָהֵן תְּעָגֵנָה לְבִלְתִּי הֱיוֹת לְאִישׁ.

Locum ob ἅπαξ λεγόμενον עָגַן subdifficilem sensu quidem recte reddunt interpr. LXX: ἢ αὐτοῖς κατασχεθήσεσθε τοῦ μὴ γενέσθαι ἀνδρί; Syr. ܘܠܐ ܬܬܟܠܝ̈ܢ ܡܢ ܕܬܗܘܝ̈ܢ ܠܓܒܪܐ „*et vos prohibebitis, quominus nubatis viro?*“ Gr. Ven.: ἆρα σφῶϊν ἐπισχεστήσεσθον [sic!] ὥςτε μὴ τελεῖν ἀνδρί; Int. Chald. vertens: הֲבְדִילְהוֹן אַתּוּן יָתְבָן עָגִימָן „*num propter eos sedebitis anxiae?*“ verbum עגן cum עגם confudit.

Forma תְּעָגֵנָה est derivanda a verbo עָגַן, deficiente dāgēsh kābēd in littera נ (sicut in formis תְּרַנֵּנָּה Ps. 71, 23 et תֵּאָמַנָה Jes. 60, 4), quod dāgēsh omissum esse „*ad insinuandam rei tarditatem et diuturnitatem*“ putavit Ioannes Simonis in Lexico suo s. v.; cf. Olshausen. Lehrb. d. hebr. Spr. p. 149. 595. Böttcher. Ausf. Lehrb. d. hebr. Spr. I § 498, 17. Quae autem vis subiecta sit verbo עָגַן, de quo R. ʾIbn ʿEzrâ monet: אין לו חבר „*non est ei socius*“ i. e. ἅπαξ λεγόμενον est in libris biblicis, dilucide apparet ex verbo chaldaico עֲגַן, quod exstat in Tărgûm Jes. 24, 22. 42, 7. 22. 49, 9, et significat: detinuit, occlusit. Rectissime igitur R. Săʿădjâ interpretatur locum nostrum per מעגנות i. e. „*detentae, occlusae*“, et in Tălm., Bābâ bătrâ 73 a laudatur Rût I, 13 ad vocabulum עיגון i. e. „*ancora*“ definiendum, ut עגן significet „*tamquam in ancoris commorari, in statione haberi, exspectare.*“ Ad hanc significationem proxime accedit vox Talmudistarum et Rabbinorum עגונה, in Tălm. Jerûsh., Gĭṭṭîn 1 b 11 a: שלא תהא יושבת עגונה „*ne sedeat innupta*“, et R. Lēvî bĕn Gĕrshôm verba הל׳ תעג׳ enucleat sic: התהיין עגונות כל זה הזמן „*num eritis innuptae per totum hoc tempus?*“ עגונה enim perbene explicatur a R. Dāvîd Qĭmḥî: אשה יושבת בלא בעל „*mulier sedens sine marito*“ i. e. nostratium „*eine, die sitzen geblieben ist.*“

Quam formam XXV codices exhibent תְּעָגֵנָה, noli putare esse derivandam a radice עָגָה, quam quidem derivationem iam R. Dāvîd Qĭmḥî in opere suo, cui inscriptum est ספר השרשים, recte refutavit eo, quod dicit, a radice עגה derivatam formam utique vocali sĕgôl sub ג littera fuisse notandam. Atque litterula י post

ג exarata hic nullo pacto indicatur verbum ל״ה; autumo equidem, eam potius scriptam esse, ut significaretur dāğēsh in נ deficiens, quam rationem dāğēsh kābēḏ exprimendi jôḏ litterula consonanti dagessandae praeposita in scriptis rabbinicis usitatissimam esse constat. Deinde nullo modo quadrat formae a radice עוג „*coxit placentam*“ (Ez. 4, 12) derivatio, quam approbavit R. Menăḥēm bĕn Sārûq, antiquissimi glossarii hebraici scriptor; quod si ita esset, fuisset, reor, scribendum תֵּעָגְנָה. Quod alii denique codices exhibent תיעננה, est ductum a verbo עָנָה „*afflixit*“ et scriptum videtur eo consilio, ut locus propter verbum עגן subobscurus mutata littera ג in consimilem litteram נ quam simplicissime expediretur.

I, 13. כִּי־מַר־לִי מְאֹד מִכֶּם.

Int. LXX in Cod. Alex. *ὅτι ἐπικράνθη μοι σφόδρα ὑπὲρ ὑμᾶς*, in Cod. Vatic. omittitur *σφόδρα*. Int. Syr.: ܡܛܠ ܕܡܪܝܪ ܠܝ ܛܒ ܠܝ ܡܢܟܘܢ et deinde addit ܘܛܒ ܡܪܝܪܐ ܠܝ ܡܢܟܘܢ (item int. Chald. אֲרוּם מְרִיר לִי יוֹתֵר מִנְּכוֹן „*nam amarius mihi fuit multo quam vobis*,“ cf. Wineri gramm. chald. § 58, 1.). Idem textus hebraicus bis variis verbis in Simplici Syriaca redditur; mihi igitur altera translatio ܘܛܒ — ܡܢܟܘܢ interpolationem olere videtur, cum haec verba primum in margine appicta post in textum ipsum irrepsisse censeam.

I, 14. וַתִּשַּׁק עָרְפָּה לַחֲמוֹתָהּ

Int. LXX vertunt: *καὶ κατεφίλησεν Ὀρφὰ τὴν πενθερὰν αὐτῆς* et statim adiciunt: *καὶ ἐπέστρεψεν εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς*, quae quidem verba interpretes Aethiopicus et Syriaco-Hexaplaris, quippe qui ex Codice Alexandrino LXX interpretum transferant sacros libros Veteris Testamenti, religiose retinent, licet nil eiusmodi in textu masoretico legatur. Quoniamque Hieronymus addit: ac reversa est, et Syrus: ܘܗܦܟܬ ܘܐܙܠܬ „*et revertit et abiit*“, et Arabs: وَرَجَعَتْ „*et rediit*,“ nonnulli interpretes, Cappellus, Houbigantius, Datheus in ea sententia fuerunt, ut arbitrarentur, in hodierno textu hebraico omissa esse verba ותשב אל עמה vel solum ותשב. Quae quidem sententia haudquaquam est probanda. Etenim huius modi parvula additamenta int. LXX haud raro apposuerunt eo consilio, ut sententias, quae ipsis imperfectae viderentur et adumbratae tantum, supplerent paucissimis. Aliud eiusdem generis additamentum exstat hoc ipso libro IV, 8, ubi post verba וַיִּשְׁלֹף נַעֲלוֹ *καὶ ὑπελύσατο τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ* interpretes Alexandrini,

nimio perspicuitatis studio capti, addunt id, quod per se facillime potest intellegi: *καὶ ἔδωκεν αὐτῷ.* Unde autem hoc loco I, 14 additamentum istud manaverit, non difficile est inventu; profecto desumptum est ex versu subsequente, in quo Noomia dicit haec: הִנֵּה שָׁבָה יְבִמְתֵּךְ אֶל־עַמָּהּ וגו׳ *ἰδοὺ ἀνέστρεψε σύννυμφός σου πρὸς λαὸν αὐτῆς κτλ.* Nec desideratur in textu hebraico illud *καὶ ἐπέστρεψεν εἰς τὸν λαὸν αὐτῆς*, quoniam verbum נָשַׁק, proprie: „*osculatus est*,“ saepenumero idem valet ac „*valedixit*,“ cf. Gen. 31, 18. 32, 1. 2 Sam. 19, 39. 1 Reg. 19, 20, atque ita reditus Orpae in patriam Moabiticam ex contextu sermonis dilucide apparet. Scite autem Rabbinus quidam hanc rem explicat pulchella hac adnotatiuncula: נשיקה של פרישות בנוהג שבעולם שכל הפורש מריעו נושקו והולך „*osculum est valedictionis, more in mundo vigente, quo quisquis separat se ab amico suo, cum osculatur et discedit* [1]).“

I, 15. וַתֹּאמֶר.

Subiectum verbi supplent recte int. LXX *Νωεμίν* (item Aeth. et Syr. Hex.), Syr. autem ܢܘܥܡܝ, Vulg. Noëmi.

I, 15. וְאֶל־אֱלֹהֶיהָ.

Int. LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Vulg., Graec. Ven. vertunt numerum p l u r a l e m, quo usurpato minime quidem offendunt in regulis grammaticae, rectius autem vertitur s i n g u l a r i s, quo reapse utitur int. Chald.: וּלְוָת דַּחַלְתַּהּ „*et ad idolum suum*,“ (conferas quoque Tărgûm Rûṯ I, 10). Namque vocabulum אֱלֹהִים usurpatur quoque de u n i c o gentilium deo, cf. 2 Reg. 1, 2. Dan. 1, 2, atque notio num. s i n g. hoc loco duabus de causis efflagitatur, primum quod unicus modo deus Moabitarum est notus, כְּמוֹשׁ (Iud. 11, 24. 1 Reg. 11, 7. Jer. 48, 7), quem eundem esse atque בַּעַל פְּעוֹר, iam perveteres asseverant Scripturae Sacrae interpretes, cf. Hieron. ad Jes. 15, 2; deinde quod versu insequente I, 16 verba וֵאלֹהַיִךְ אֱלֹהָי ex totius illius loci indole pluralem vim omnino non ferunt. Int. Syr., quem sequitur Arabs: وَبَيْتِ أَبِيهَا „*et ad domum patris sui*,“ pro ואל־אל׳ substituit: ܘܠܒܝܬ ܐܒܗ̈ܝܗ̇ „*et ad domum parentum*

---

1) Vide, sis, libellum, cui inscriptum est: פירושים על אסתר רות ואיכה, יצאו לאור ראשונה ע״י אהרן יעללינעק, פה לפסיא התרט״ו.

suorum,“ quibus verbis dicere vult, Orpam rediisse non in patriam solum, sed etiam ad parentes.

I, 18. וַתֵּרֶא.

Interpr. LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Syr. apponunt subiectum נָעֳמִי.

I, 19. וַתֵּהֹם כָּל־הָעִיר עֲלֵיהֶן.

Interpr. LXX: *καὶ ἤχησε πᾶσα ἡ πόλις ἐπ᾽ αὐταῖς*, Graec. Ven.: *ἐθορύβησέ τε πᾶσα ἡ πόλις ἐπὶ σφῶϊν.* Haec interpretatio huic loco convenit. Ex N. T. conferri potest Matth. 21, 10: *ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις λέγουσα· τίς ἐστιν οὗτος*; Interrogatur autem, a quo verbo sit derivanda forma וַתֵּהֹם, cf. 1 Sam. 4, 5. 1 Reg. 1, 45. Esse imperfectum nĭphʿăl, omnes interpretes consentiunt, ambigunt autem, cuius verbi. Buxtorfius, Simonis, Rosenmüllerus, Gesenius, Keilius recte censent, radicem esse הוּם, minus apte derivatur a verbo הָמַם a R. ʾIbn ʿEzrâ, ab Ewaldo in Lehrb. § 140 b, ab Olshausenio in Lehrb. p. 597. Reliquos interpretes veteres haud accurate perspexisse significationem verbi וַתֵּהֹם, manifestum est. Syrus ܚܕܝܬ ܒܗܝܢ ܟܠܗ ܡܕܝܢܬܐ „*gavisa est iis tota civitas,*“ item Arabs: فَرِحَتِ ٱلْمَدِينَةُ كُلُّهَا بِهِمَا. Hieronymus vertit liberius: velox apud cunctos fama percrebruit. Chaldaeus: וְאִרְגִּישׁוּ כָּל יָתְבֵי קַרְתָּא עֲלֵיהֶן „*et tumultuati sunt omnes incolae civitatis propter eas.*“

I, 19. וַתֹּאמַרְנָה.

Rectissime Hieronymus supplet subiectum: mulieres. Etenim forma feminina verbi scite significantur mulieres quae rerum novarum et audiendarum et aspiciendarum semper cupidissimae eaeque loquacissimae statim percontantur: הֲזֹאת נָעֳמִי „*nonne haec est Noomia?*“ Quae quidem interrogatio non est ignorantiae, sed potius admirationis, cf. Gen. 50, 19. 1 Sam. 2, 27. Ps. 58, 1. Job. 20, 19. Cant. 3, 6. Admirantur enim feminae Bethlehemiticae, quod ea, quam pridem e vita excessisse putarant vel cuius reditum numquam exspectarant, incolumis revertitur; quapropter sensum apte expressit int. Aeth.: ሕያውትኑ ፡ አንቲ ፡ ኖሔሚን ፡፡ „*an tu adhuc in vivis es, Noomia?*“

I, 20. מָרָא.

Nomen proprium vertunt int. LXX et Graec. Ven.: *πικρά.* Syrus: ܡܪܝܪܬ ܢܦܫܐ. Chald. in Bibl. Polygl. Paris. מְרִירָא, in

Bibl. Polygl. Lond. מְרִירַת נַפְשָׁא, quam interpretationem haud scio an secutus sit R. Jôsēph Qārâ, qui exponit: נפש מרה „*anima amara.*“

I, 20. שַׁדַּי.

Hoc loco vertit Syrus ܐܠܥܫܝܢ, versu autem insequente paulo fusius: ܡܢ ܕܡܛܐ ܟܠ ܒܐܝܕܘܗܝ „*is, in cuius potestatem venit aliquid*“ (cf. Hebr. 11, 19 in Pesh.) Hac interpretatione omen infaustum a se avertere studuit Syrus, ne simplici nominis divini translatione Deo id attribueret, ut ille hominibus plagas infligeret malaque afferret. Eadem fortasse causa commotus scripsit Arabs: الإِلٰه المُوَاعِد „*Deus promissionum.*“ Quod etymon R. Shelômô Jĭṣḥāqî aliique Iudaeorum doctores ad hoc nomen Dei asciscunt: שיש־די „*is, qui est sufficiens,*“ id ex eorum ignorantia veri etymi fluxisse existimandum est. Recte interpretatur R. Săʿădjâ ad Ps. 91, 1: اَلْكَافِي „*der Allgenügende, Omnipotens.*“

I, 21. אֲנִי מְלֵאָה הָלַכְתִּי וְרֵיקָם הֱשִׁיבַנִי יַהְוֶה.

Quid significetur vocabulis מְלֵאָה et רֵיקָם, perbene exponitur in Tărgûm: אֲנָא מַלְיָא אֲזַלִית מִבַּעֲלִי וּמִבְּנַי וְרֵיקָנְיָא אֲתִבְנִי יְיָ מִנְּהוֹן „*ego l o c u p l e s m a r i t o m e o f i l i i s q u e m e i s discessi, sed o r b a t a m i i s reduxit me Dominus.*“

I, 21. וַיַהְוֶה עָנָה בִי.

Int. LXX: *καὶ Κύριος ἐ τ α π ε ί ν ω σ έ με*; Syr. ܘܡܪܝܐ ܡܟܟܢܝ, Vulg. quam Dominus h u m i l i a v i t, et sic Lutherus: so mich doch der HERR g e d e m ü t i g e t. Sine dubio legerunt omnes pĭʿēl עִנָּה „*afflixit, depressit,*“ [contra Thren. 3, 33: עִנָּה LXX: *ἀπεκρίθη*, legerunt עָנָה]. Quae interpretatio quamvis cum sententia enunciati consentanea, quia in poëtica elatione, ad quam hic assurgit oratio, parallelismum efficit egregium cum sequentibus verbis: וְשַׁדַּי הֵרַע־לִי „*et Omnipotens malefecit mihi,*“ tamen usu sermonis repugnat contra praepositionem ב׳. Qua de causa censeo, retinendam esse sententiam eorum, qui arbitrentur, עָנָה ב׳ etiam hoc loco significare: testatus est contra aliquem. Similiter iam Chald.: וּמִן קֳדָם יְיָ אִסְתְּהִיד לִי חוֹבְתִי „*et a Domino t e s t i m o n i u m d a t u m e s t mihi de peccato meo,*“ et רש״י: העיד עלי שהרשעתי לפניו „*t e s t a t u s e s t c o n t r a m e, quod peccavi coram ipso.*“ Rabbinus quidam adnotat: וד׳ ענה בי, פת׳ העיד בי, עוונותי ענו בי, ממה שהשיבני ריקם כאילו העיד בי שעוונותי הטו אלה וחטאותי מנעו הטוב ממני.

מסורת זה תפוס בידך כל מקום שתמצא ב׳ אחר ענוי׳ הוא לשון עדות, הנני ענו בי, וענתה בי צדקתי, לא תענה בריעך, ואעידה בם, ומקום שלא תמצא ב׳ הוא לשון עני׳ כמו וכפיס מעץ יעננה, כך מצאתי במחברת דונש „וַיהוָה עָנָה בִי *significat: testatus est ille contra me, peccata mea testata sunt contra me; quod me reduxit vacuam, idem est, ac si testatus esset contra me, peccata mea admovisse has res et flagitia mea cohibuisse bonum a me. Haec regula tibi stet: quovis loco invenis* ב׳ *post* עָנָה*, est significatio* t e s t a n d i: [1 *Sam.* 12, 3] הִנְנִי עֲנוּ בִי, [*Gen.* 30, 33] וְעָנְתָה־בִּי צִדְקָתִי, [*Ex.* 20, 16] לֹא־תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ, [*Deut.* 31, 28] וְאָעִידָה בָּם; *contra, quovis loco non invenis* ב׳*, est significatio* r e s p o n d e n d i*, velut* [*Hab.* 2, 11] וְכָפִיס מֵעֵץ יַעֲנֶנָּה. *Sic reperi in Măḥbĕrĕṯ Dônăsh* 1).“

I, 22. הַשָּׁבָה.

Propter accentum מלעיל forma habenda est pro tertia pers. gen. fem. perfecti cum articulo notionis relativae אֲשֶׁר loco, cf. II, 6 et רש״י ad eundem locum. Sic vertit Chald. דִּי תָבַת. Int. LXX in Cod. Alex. legerunt מלרע: ἐπιστρέφουσα (Syr. Hex. ܗܦܟܐ), putarunt igitur, formam esse fem. part. qăl, quam formam cur Bertheaus hic praeferendam censeat textui masoretico, non dispicio equidem.

II, 1. מְיֻדַּע.

Haec lectio genuina est et retinenda, est autem stat. constr. part. pŭ'ăl: „*cognatus, affinis,*“ Vulg. consanguineus. LXX: ἀνὴρ γνώριμος. Masoretae substituerunt pro concreto מְיֻדַּע abstractum מוֹדַע, quam formam cave ne cum Gesenio in Lexico habeas pro stat. a b s o l., qui huic loco minime convenit, (cf. Gesen. gr. § 116, 1. Ewald. Lehrb. § 160 c), est potius stat. c o n s t r. substantivi מוֹדָע Prov. 7, 4. Ad formarum immutationem vocari possunt in comparationem Jes. 12, 5 מְיֻדַּעַת כ׳ et מוּדַעַת ק׳; Jer. 5, 8 מְיֻזָּנִים ק׳ et מוּזָנִים כ׳.

II, 1. אִישׁ גִּבּוֹר חַיִל.

LXX: ὁ δὲ ἀνὴρ δυνατὸς ἰσχύϊ. Vulg.: homo potens et magnarum opum. Chald. גְּבַר גִּבָּר תַּקִּיף בְּאוֹרַיְתָא „*vir potens, gravis in lege.*“ Lutherus: ein ehrlicher [edit. a. 1545: weidlicher] Mann. Aptius statuas, hoc loco voci חַיִל inesse vim virtutis bonitatisque,

1) Sine dubio spectatur his verbis ad accuratam de verbo ענה expositionem quam perlegas in libro: ספר תשובות דונש בן לברט ed. Herschell Filipowski Londini et Edimburgi MDCCCLV, p. 79 et 80.

ratione habita v. 11 cap. III, quo Rutha appellatur אֵשֶׁת חַיִל *„mulier virtute insignis.“* Itaque pulcherrimus sensus et toti libro aptissimus eruitur hic: Boazus, vir virtute ornatus, cum Rutha, muliere virtute praedita, matrimonium init, et ex hac familia tam praeclara posthac oriundus est rex Dâvid, summum illud decus et ornamentum populi Israëlitici.

II, 2. וַתֹּאמֶר לָהּ.

Subiectum addunt Syr. et Ar. חֲמוֹתָהּ.

II, 3. וַתֵּלֶךְ.

Subiectum רוּת supplent Syr. et Ar.

II, 4. יְהוָה עִמָּכֶם.

Ad verbum vertunt LXX: *Κύριος μεθ' ὑμῶν* (Syr. Hex. ܡܪܝܐ ܥܡܟܘܢ) et Vulg.: Dominus vobiscum. Syrus utitur salutandi formula posteriore aetate usitata: ܫܠܡܐ ܥܡܟܘܢ *„pax vobiscum.“* Chald. circumloquitur: יְהֵא מֵימְרָא דַיְיָ בְּסַעֲדְכוֹן *„sit verbum Domini ad auxilium vestrum.“* Pio voto resonat tamquam pia imago: יְבָרֶכְךָ יְהוָה *„benedicat tibi Jăhvĕh!“* Animadvertas, in eiusmodi consalutationibus apud Orientales eo verbo, in quo omnis vis benedictionis posita est (h. l. in יהוה), locutionem et incipi et finiri. Ad quam rem conferre libet votum illud apud Arabes usitatissimum: اَلسَّلَامُ عَلَيْكَ, ad quod respondendum est: عَلَيْكَ اَلسَّلَامُ.

II, 5. לְמִי הַנַּעֲרָה הַזֹּאת.

Verbum e verbo vertunt LXX: *τίνος ἡ νεᾶνις αὕτη*; Vulg. cuius est haec puella? Graec. Ven. *τίνος ἡ παῖς ἥδε*; Paulo liberius Chald.: לְאֵידֵין אוּמָּא רִיבָא הָדָא *„cuinam nationi est puella haec?“* et Syr.: ܡܘ ܫܘܥܝܬܗ ܕܥܠܝܡܬܐ ܗܕܐ *„quae est fama huius puellae?“* et Ar.: مَا شَأْنُ هٰذِهِ ٱلْفَتَاةِ *„quae est conditio huius puellae?“*

II, 7. זֶה שִׁבְתָּהּ הַבַּיִת מְעָט.

Ad verbum vertunt Chald.: דֵּין דִּיתְבָא בְּבֵיתָא צִבְחַר et Graec. Ven.: *αὕτη κάθησις ταύτῃ οἴκοι ὀλίγη.* Reliqui veteres interpretes ad unum omnes subdifficilem locum minime intellexerunt. Syrus, et eo auctore Arabs, omittit haec verba, excepto vocabulo שבתה, quod ܫܠܝܐ i. e. *„quies“* vertitur. Int. LXX: *οὐ κατέπαυσεν ἐν τῷ ἀγρῷ μικρόν* (item Aeth. et Syr. Hex.) non perspexerunt, quid sibi vellet vox הַבַּיִת, et litteras שבתה extulerunt שָׁבְתָה (tert. pers. fem. qăl verbi שָׁבַת *„requievit, cessavit“*): ut

autem sententia fieret plana, particula negationis οὐ, de qua nihil in archetypo exstat, adiceretur necesse erat. Per tot ambages denique sensus quamvis falsus tamen tolerabilis efficiebatur. Paulo aliter in Cod. Coislin. vertitur: ἕως νῦν τοῦτο κατέπαυσεν κτλ. Hieronymus vertit: et ne ad momentum quidem domum reversa est; neque is quidem, quae significationes vocabulis הבית et שבתה (quam formam ab eo cum radice שׁוּב „*revertit*“ esse coniunctam, veri est admodum simile) inessent, sensit. Iam vero locum per vetustissimos interpretes tam afflictum ad ipsius genuinam revocemus sententiam. Primum constituendum est, quaenam forma insit litteris שבתה. Certe non dubitandum est, quin Masoretae eam hisce punctis שִׁבְתָּהּ recte definierint; inest enim infin. qal cum suff. tert. pers. sing. fem. verbi יָשַׁב „*sedit;*“ similes formae eiusdem verbi inveniuntur Ps. 37, 4: שִׁבְתִּי, 2 Reg. 19, 27: שִׁבְתְּךָ, Thren. 3, 63: שִׁבְתָּם. Deinde voculam זֶה h. l. adverbii vicem obtinere, satis perspicuum est, sed utrum significet locum „*hîc*, *hier*, *da*,“ an tempus „*nunc*, *jetzt*, *nun*,“ in medio relinquo, quoniam utraque significatio ad hunc ipsum locum apte quadrat. His expeditis restat denique, ut breviter exponam, quid sibi velit vox הַבַּיִת. Int. LXX temere pro ea substituerunt ἐν τῷ ἀγρῷ, quoniam — sic enim per errorem argumentati esse mihi videntur — hoc ipso versu dictum sit, Rutham venisse et remansisse [scilicet in agro ad spicas colligendas] a summo mane usque ad illud tempus [scil. adventus Boazi ad agrum]; itaque Rutham in agro fuisse per integrum diem, non autem in domo aliqua. Hieronymus existimabat certe, vocabulo הַבַּיִת significari Noomiae domum, in qua Rutha Bethlehemi morabatur. Eandem sententiam tuetur Lutherus, quippe qui vertat: und bleibt wenig daheime, quod ultimum verbum in margine modo lepidissimo explicat sic: Sie ist nicht der Metzen eine, die daheime auff dem Polster sitzen und faullentzen. Sed errarunt vehementer hac in re et Sanctus Hieronymus et Martinus Lutherus. Etenim et haec interpretatio, qua Rutha inducitur reversa Bethlehemum ad perbrevem laboris remissionem, abhorret mirum quantum a simplicibus verbis hebraicis. Ac profecto non est dubium, quin illa domus, quae agitur, in agro ipso sita fuerit. Ludovicus de Dieu et Clericus censuerunt, voce הַבַּיִת significari villam Boazi in agro aedificatam. Utique accesserunt hi viri propius ad veritatem, veritatem autem omnem nondum attigerunt. Quid autem hoc loco verum sit et iustum, docent nos, mea quidem sententia, duo Rabbini

acumine ingenii florentes. Etenim R. ʼIb̲n ʽEzrâ hunc locum conficit paucis hisce verbis: בַּיִת „domus“ idem valet ,,וטעם בית כמו סוכה ac סֻכָּה „tugurium,“ et paulo copiosius R ʼAb̲ĕn Dānâ: הבית שהיה להם בשדה להסתופף בצלו „*domus, quae erat iis* [*scil. messoribus*] *in agro, in cuius umbram sese recipere possent.*“ Eius modi tuguria sive tentoria sive antra, ex quibus aestate messis custodiretur et in quae metentes horis meridianis prae solis ardore se abdere possent, ut quieti se totos darent, in ipsis campis vel prope campos fuisse exstructa, constat. In hanc rem commentarii instar ea sunt, quae Burkhardtius, peregrinator ille diligentissimus, ex Palaestina septemtrionali narrat, quem locum, quantum equidem scio, nemo adhuc ad hunc versum libri Rûṯ illustrandum attulit; perscribit enim haec: „*Wo irgend der Boden in diesen Gegenden angebaut werden kann, findet man Weizen und Gerste zwischen den Felsen ausgesäet. Sind solche Flecke weit von einem Dorfe, so schlagen die Landleute ein paar Zelte auf, um Saat und Aernte zu bewachen; dergleichen Lager heissen Mezraa* (مزرع) [1]).“ Quoniamque mores rusticorum messi operantium in terris ad orientem vergentibus inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem plane iidem manserunt, non errabimus, si eas, quae nunc apud illos vigent, consuetudines retulerimus ad aetatem Ruthae.

Quae omnia cum ita sint, verba illa זֶה שִׁבְתָּהּ הַבַּיִת מְעָט in patrium sermonem recte dumtaxat convertemus sic: da sass sie in der Behausung nur wenig [vel: jetzt sitzt sie i. d. B. ein Bisschen, quae translatio, ceteroquin recta, tamen minus apta videtur]. His enim verbis iuvenis ille messoribus praefectus Ruthae, quam fortasse ob formositatem modestiamque ipsius adamarat, testimonium impertire vult industriae ac sedulitatis eamque humanitati et misericordiae domini sui commendare quam diligentissime.

II, 8. וְכֹה תִדְבָּקִין

„*Et hîc adhaereas*“. Vocula כֹּה hoc loco significat non rationem (sic), sed locum (hîc). Recte Syr. ܠܵܟܐ, Syr. Hex. ܗܪܟܐ (cf. ὧδε hîc, Matth. 12, 41. 14, 17. 16, 28. 17, 4. Marc. 16, 6. Luc. 24, 6.), Chald. הָכָא. Cf. Gen. 31, 37. Ex. 2, 12. 7, 16. 2 Sam. 18, 30. — Cum forma תִּדְבָּקִין in comparationem vocari

---

1) Cf. Burkhardt, Reisen in Syrien, deutsch herausgegeben von Gesenius Weimar 1823. I p. 224.

possunt תִּשְׁתַּכָּרִין 1 Sam. 1, 14 et תִּתְחַמָּקִין Jer. 31, 22, cf. Böttcher, Lehrb. I, § 257. 366, 3. 370, 5.

II, 9. וְצָמִת

Forma a verbo צָמֵא derivanda (itaque iure monet Māsôrâ בלא א׳ „*sine 'ālĕph*“ sicut צָמֵתִי Iud. 4, 19) et ficta, velut si a verbo ל״ה sit ducta, (cf. Olsh. § 233a.) Particulam conditionalem אִם in hoc brevi enunciato omissam (cf. Ew. § 195b. Ges. § 155, 4a), addunt interpretes LXX: *ὅτε διψήσεις*, Syr.: ܘܐܢ ܨܗܝܐ ܐܙܠܝ, Syr. Hex. ܘܐܨܗܝ ܀, Ar. وَإِنْ عَطِشْتِ, Vulg. si sitieris, et Rabbini רש״י: ואם תצמאי, 'Aḇĕn Dānâ ואם צמית.

II, 9. וְשָׁתִית מֵאֲשֶׁר

Ellipsin vocabuli מַיִם supplent Syr. ܘܐܫܬܝ ܡܢ ܡܝܐ ܕܡܠܝܢ ܥܠܝܡܐ et Chald. וּתְהֵי שָׁתְיָא מוֹנֵי דִי מָלְיָן עוּלֵמַיָּא. Consimiles ellipses inveniuntur Rûṯ I, 16. 17, quibus locis ad אֶל־אֲשֶׁר et בַּאֲשֶׁר (cf. Iud. 5, 27. Job. 39, 30) supplendum est substantivum מְקוֹם (in stat. constr., cf. Esth. 4, 3. 8, 17. Qoh. 11, 3. Lev. 4, 24. Ps. 104, 8.), et II, 2 אַחַר אֲשֶׁר, omisso post אַחַר substantivo אָדָם, quod R. Jôsēph Qārâ supplet.

II, 11. תְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם

„*Heri(et) nudius tertius*“. Sensum expressit perbene Hieronymus: antea, itemque Lutherus: zuvor. Haec enim duo temporis adverbia *ἀσυνδέτως* composita significant tempus modo praeteritum: „*non ita pridem*“, „*haud ita dudum*“, germanice „*neulich noch*“, „*noch jüngst*“ (Ex. 5, 8. 2 Sam. 5, 2. Gen. 31, 2. 5.) LXX: *ἐχθὲς καὶ τρίτης*, Syr. ܡܢ ܐܬܡܠܝ ܘܡܢ ܡܢܬܡܠܝ, Graec. Ven. *χθὲς πρότριτα.* Eodem sensu usurpatur in graeco sermone *χθιζά τε καὶ πρώϊζα* Hom. Il. II, 303, Plat. Alc. II, 141 D, *πρώην τε καὶ χθές* Herodot. II, 53, *ἐχθὲς καὶ πρώην* Isocr. p. 121 B. Diodor. XIV, 67, *χθές τε καὶ πρώην* Aristoph. Ran. 726.

II, 13. אֶמְצָא.

Recte vertunt modo optativo int. LXX et Graec. Ven. *εὕροιμι*, cf. Gen. 33, 15.

II, 13. וְאָנֹכִי לֹא אֶהְיֶה כְּאַחַת שִׁפְחֹתֶךָ.

„*Et ego non sum sicut una ex ancillis tuis.*“ R. 'Iḇn ʿEzrâ pro וְאָנֹכִי לֹא אֶהְיֶה ponit: אינני ראויה „*ego non sum digna,*“ et רש״י: איני חשובה „*ego non sum aestimata.*“ Sed nullo additamento opus est. Verba, quamvis perspicua, nihilo setius male intellexerunt veteres interpretes, excepto uno Hieronymo, qui vertit:

quae non sum similis unius puellarum tuarum, quam interpretationem secutum esse suspicor Lutherum: so ich doch nicht bin [mich nicht so hoch achte, addit in margine] als deiner Megde eine. Int. LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Syr. praetermittunt negationem לֹא et eruunt hunc sensum: et ego ero sicut una ex ancillis tuis, quasi his verbis Rutha dicere voluerit: quia me consolatus es, spes mihi est, fore, ut fiam ancilla tua. Sed potius ea, qua excellit, modestia Boazo: tractasti, inquit, me humanissime, quamquam peregrina sum nec digna, quae ancillis tuis adnumerer.

II, 14. וַיֹּאמֶר לָהּ בֹעַז לְעֵת הָאֹכֶל גֹּשִׁי הֲלֹם.

Accentus textus masoretici accurate observantur tantummodo in editione int. LXX in Bibl. Polygl. Complut.: *καὶ εἶπεν αὐτῇ Βοὸζ τῇ ὥρᾳ τοῦ φαγεῖν, πρόςελθε ὧδε* et in Peshîṭô: ܘܐܡܪ ܠܗ ܒܥܙ ܒܥܕܢܐ ܕܫܪܘܬܐ: ܩܪܘܒ „*et dixit ei Boazus tempore prandii: appropinqua.*“ Perperam interpungitur in translatione latina, quae Simplici Syriacae adiecta est in Bibl. Polygl. Lond., sic: Et dixit ei Booz, Tempore prandii accede. Recte autem, scribunt Tremellius et Iunius: dixit vero ei Bohaz tempore cibi accede; nec minus recte interpres Belgicus: als het nu etens tydt was, seyde Boaz tot haer: kommt hier by ende eet von den broodt. Etenim interpungendum est demum in voce הָאֹכֶל, quae accentu graviore רביע insignita est, non vero iam in voce בֹּעַז, quippe quae leviore tantum accentu גרש sit notata. Itaque perverse interpunxerunt int. LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Vulg., Ar., Graec. Ven., Lutherus. In Tărgûm Rûṯ distingui non potest, utrum scriptor eius post 'בע interpungendum esse censuerit an post 'הא; in versione textus chaldaici in Bibl. Polygl. Lond. interpungitur recte: Et dixit illi Boghaz in tempore cibi, Accede huc.

II, 14. וַיִּצְבָּט־לָהּ קָלִי.

„*Et porrexit ei tostas spicas.*“ Ad verbum צבט recte observat R. Menăḥēm bĕn Sārûq[1]): ויצבט לה קלי (רות ב יד) ענינו יורה עליו, ואין לו דמיון בתורה, אבל בלשון משנה יש, אחוריים ותוך ובית הצביטה (חגיגה פ"ג משנה א) „*contextus, in quo adhibetur, docet de eius significatione, neque ei est simile* [*i. e. est ἅπ. λεγ.*] *in Lege, sed in lingua Mishnae exstat:* אֲחוֹרַיִם וְתוֹךְ וּבֵית הַצְּבִיטָה „*externa* [*vasis*] *et interna et manubrium,*“ (Ḥăgîgâ cap. III

1) Cf. The first Hebrew and Chaldaic Lexicon, compiled by Menahem ben Saruk, selected and translated by Herschell Filipowski. London 1854. p. 148.

Mĭshnâ I). Ultimam autem locutionem 'בית הצ R. Dāvîḏ Qĭmḥî explicat per מקום שצובטין אותו „*is* [*rasis*] *locus*, *quo porrigunt id*“ (cf. Ḥăgîgâ 22 b), i. e. manubrium. Invenitur radix צבט in reliquis dialectis semiticis, in arabica ضَبَطَ, in aethiopica ፀበጠ: Rectissime vertit Chald.: וְאוֹשִׁיט לַהּ „*et porrexit ei*,“ item רש״י et R. Lēvî bĕn Gĕrshôm: ויושט. Syrus: ܘܐܘܫܛ ܠܗ. Verbo צבט significationem praebendi porrigendique (ענין נתינה והושטה) inesse, affirmant רד״ק et R. ʼAḇĕn Mĕlĕḵ, et adnotat R. ʼIbn ʻEzrâ: אין לו חבר ופירושו כמו נתינה „*non est ei socius* [*i. e. est* ἅπ. λεγ.] *eiusque significatio est tamquam dare.*“ — Hieron.: et congessit polentam sibi (legisse videtur 'ותצ). Int. LXX: *καὶ ἐβούνισεν αὐτῇ κτλ.* Graec. Ven.: *ἐχορήγησέ τ' αὐτῇ κτλ.*

II, 14. קָלִי.

LXX: *ἄλφιτον.* Syr. et Syr. Hex.: ܩܠܝܐ. Vulg.: polenta („*quae*, ut ait Hieronymus, *fiebat communiter ex hordeo aqua perfuso et una nocte siccato ac postera die fricto, deinde molis fracto*“). Chald.: קְמַח קָלִי. Graec. Ven.: *δίπυρος.* Lutherus: Sangen. Significantur, ut brevi praecidam, tostae spicae, quibus etiamnunc vesci agricolas orientales, tradit Robinsonius in opere suo: Palaestina II, p. 659 sq.

II, 16. וְגַם שֹׁל־תָּשֹׁלּוּ לָהּ.

„*Atque etiam consulto extrahatis ei.*“ Formam שֹׁל habet Olshausenius (Lehrb. § 245, i) recte pro infin. absol. qăl, i. q. שָׁלוֹל, verbi שָׁלַל, contra Gesenius (Gramm. § 131, 4. Anm. 2) contendit, esse infinitivum constructum, sed is est שְׁלֹל Jes. 10, 6. Ez. 38, 12. 13. Forma sine dubio a verbo שָׁלַל est derivanda, id quod recte intellexerunt iam R. Jehûḏâ Ḥăjjûǵ in suo ספר הכפל et R. ʼAḇĕn Mĕlĕḵ. R. ʼAḇĕn Dānâ formam connexuit cum radice שָׁלָה, in nĭphʻăl: erravit, h. l. per errorem quasi reliquit, sed huius radicis formae essent hae: שָׁכֹה תִּשְׁלוּ in qăl, et נִגְלֹה תִּשָּׁלוּ in nĭphʻăl. Eodem sensu interpretatus est R. Shemûʼēl bĕn Mēʼîr: שכח תשכחו עשו עצמיכם כאלו אתם שוכחים „*obliviscimini, simulate vos oblitos esse.*“ Nec minus vehementer erravit רש״י, qui hunc infin. duxit a verbo נָשַׁל „*deiecit*;“ quod si recte se haberet, nonne dicendum fuisset נָשֹׁל תִּשְּׁלוּ? Hanc falsam derivationem videntur secuti esse et Hieronymus: proicite de industria et int. LXX: *καί γε παραβάλλοντες παραβαλεῖτε αὐτῇ*; quae verba in hodiernis editionibus praecedunt: *καὶ βαστάζοντες βαστάσατε αὐτῇ* interpolationem redolent, quoniam et Paulus Telensis, quippe

qui ex interpretatione Alexandrina librum Rûṯ verbum e verbo in syriacum converterit, nil eius modi habet, sed solum vertit: ܐܦ ܟܕ ܡܪܡܝܢ ܬܪܡܘܢ ܠܗ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܩ̈ܝܢ i. e. graece: *καί γε παραβάλλοντες παραβαλεῖτε αὐτῇ ἐκ τῶν βεβουνισμένων*, et illa verba in compluribus codicibus omnino desunt (cf. *Ῥοὺθ κατὰ τοὺς Ο'* ex recensione Fritzschii, p. 9.). Arbitror igitur, verba: *καὶ βαστάζοντες βαστάσατε αὐτῇ* esse alteram translationem verborum וְגַם שֹׁל תָּשֹׁלּוּ לָהּ, quae versio primum in margine tamquam scholion adscripta ab aliquo librario postea in ipsum textum transposita sit in eoque usque hodie remanserit. Consimilia duplicis interpretationis exempla inveniuntur apud LXX Ps. 29, 1: הָבוּ לַיהוָה בְּנֵי אֵלִים *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ, υἱοὶ θεοῦ*, [*ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν*]; Job. 1, 3: וַעֲבֻדָּה רַבָּה מְאֹד *καὶ ὑπηρεσία πολλὴ σφόδρα* [*καὶ ἔργα μεγάλα ἦν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς*].

II, 16. צְבָתִים.

Hoc substantivum modo hîc in V. T. invenitur; radix צֶבֶת in sermone hebraico nuspiam exstat. Recte vertit Vulg.: manipuli, Chald.: אֲסִירַיָּא „*colligati*" scil. manipuli, Graec. Ven.: *κώμυθες*. R. Sä'âḏjâ adnotat: الضمات وكذا يسمون الكلبتين צבת لانها تضم „*manipuli, ac sic appellant* [*Talmudistae*] *forcipem* צֶבֶת, *propterea, quod complectitur*" [vide Mássĕkĕṯ 'Aḇôṯ V, 6. Sănhĕḏrîn 52, 1. Tôsĭphtâ Sôṭâ II]. רש"י laudat locum, qui exstat in Máss. 'Erûḇîn 10, 1: מצאן צבתים או כריכות „*si quis invenerit eas* [תפלין] *laxe comprehensas aut arcte colligatas*," quo loco Maimonides vocem צב' explicat recte vocabulo אגודות. Conferas quoque, nisi molestum est, Mĭshnâ, Màss. Menāḥôṯ 71 a.

II, 17. אֵת אֲשֶׁר־לִקֵּטָה.

Ellipsis substantivi expletur apte in Tărgûm: יַת שׁוּבְלִין דִּצְבִירַת „*spicas, quas collegerat.*"

II, 17. כְּאֵיפָה שְׂעֹרִים.

Int. LXX: *ὡς οἰφὶ* [i. e. hebr. איפה] *κριθῶν*. Chald.: כִּתְלָת סְאִין סְעוֹרִין „*circiter tres seâ hordeorum*," quibus efficitur 'êphâ (Deut. 25, 14). Graec. Ven.: *ὡς μέδιμνος κριθῶν*. Vulg.: hordei quasi ephi mensuram, quae interpretatio postea, ut videtur, aucta est hisce verbis: id est tres modios.

II, 18. וַתֵּרֶא חֲמוֹתָהּ.

Consonantibus ותרא h. l. hĭph'îl inest, non autem qăl וַתֵּרֶא, ut Masoretae putarunt. Recte formam intellexerunt Syr.: ܘܚܘܝܬ

ܘܚܘܝܬܗ (quem secutus Arabs: وَأَرَتْ حَمَاتَهَا), et Vulg.: et ostendit socrui suae. Etenim cum verborum et praecedentium et sequentium verba 'ותר' חמ subiectum sit רות oporteat, subita subiecti mutatio vix statui potest. Accedit, quod II codices apud Kennicottum et de Rossium tradunt lectionem 'ותרא את חמ, apposita accusativi nota את, qua consonantibus ותרא hĭphʿîl inesse, satis superque demonstratur. Quod si effertur וַתֵּרֶא et vox חֲמוֹתָהּ subiecti vice fungitur (ut apud LXX: *καὶ εἶδεν ἡ πενθερὰ αὐτῆς* et Chald.: וַחֲזַת חֲמוֹתַהּ et Graec. Ven.: *ἠθρησέ θ' ἡ πενθερὰ ταύτης*), sensus provenit tenuis et ad locum parum aptus, atque in dubio relinquitur, quid sit subiectum subsequentis verbi וַתּוֹצֵא, quapropter, ut locus fieret dilucidus, int. LXX ad id verbum aperte addere debebant subiectum *Ῥούθ*.

II, 18. וַתּוֹצֵא.

Interpres Chaldaeus addidit: מִן תַּרְמִילָא „*e sinu vestis, ex pera.*"

II, 20. מִגֹּאֲלֵנוּ הוּא.

Int. LXX: *ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῖν ἐστί* (item Aeth. et Syr. Hex.). Syr.: ܡܢ ܐܚܝܢܢ ܩܪܝܒܐ ܗܘ. Chald.: מִפָּרִיקָנָא הוּא. Graec. Ven.: *ἀπὸ τῶν ἐλευθερούντων ἡμᾶς ἐστίν.* Omnes hi interpretes recte verterunt: „*ex redemptoribus nostris est ille*;" compositum enim est vocabulum ex praepositione partitiva מִן (cf. Ges. gramm. § 154, 3 c.) et ex num. plurali substantivi vel, si malis, participii גֹּאֵל, qui pluralis hîc scriptus est sine י, quam litterulam in plurimis codicibus re vera exaratam esse non est praetermittendum; cf. similem sine י scriptam formam רָהִיטֵנוּ (sic enim littera ח adhibita legendum est), Vulg. laquearia nostra, Cant. 1, 16. Quae Gesenius de hoc vocabulo מִגֹּאֲלֵנוּ excogitavit, non probanda sunt; censet enim, id esse singularem vocis מְגֹאֵל, quam vocem explicat in Thes. p. 254: „*post Goëlem proximus est, cf. IV, 4, ubi Boas Goëli:* אָנֹכִי אַחֲרֶיךָ," cf. ib. p. 805. Contra hanc interpretationem pugnant et locus ipse laudatus IV, 4 et indoles formae, quae ex praepos. partit. מִן et participio גֹּאֵל contracta esse deberet, ut denotaretur tamquam „*etwas von Löser*," „*ein Stück Verwandter*;" dein diligenter animadvertendum est, doctores Iudaeorum, praecipue רמב"ם in opere suo de rebus ad Goëlem spectantibus copiosissime agente: הלכות יבמות וחליצה, omnino ignorare peculiare nomen מְגֹאֵל, quo significetur cognatus post redemptorem (גֹּאֵל) proximus.

Itaque iudicandum est, vetustissimos interpretes sensum verbi illius rectissime percepisse; quorum interpretationem ex recentioribus commentariorum scriptoribus sectantur Rosenmüllerus, Bertheaus, Maurerus, Keilius.

II, 21. גַּם ׀ כִּי אָמַר אֵלַי.

Quid vocula גַּם sibi velit, sane difficile est dictu, praesertim cum veteres interpretes eam recte intellegendi nullam praebeant ansam. Recentiores interpretes in hoc loco explicando torquent se admodum, nihilo setius tamen ambigunt, utrum vocabula recte expedierint necne. Atque omnes, cum non possint exponere, imponunt aliquid. Itaque post גַּם statuunt ellipsin; Carpzovius audit ex versu praecedente verba: בָּרוּךְ הוּא לַיהוָה, velut si Rutha illud pium votum Noomiae etiam suo nomine conceptum voluerit; alii interpretes locis Jos. 22, 7. Prov. 22, 6. Esth. 7, 9. collatis supplent vel „*scito*" vel „*factum est.*" Ex his supplementis inter se tantopere discrepantibus certe elucet, talem interpretationem iustam esse non posse. Quod si a me exposcas, ut perversae huius loci interpretationi tamquam medicinam salutarem adhibeam, facere non possum, quin palam profitear, me quoque minus perspicere sensum illarum particularum גַּם כִּי. Dubitanter tantummodo et cum fluctuatione quadam novam proponere audeo interpretationem. Ac mihi quidem videtur verbis גַּם ׀ כִּי אָמַר אֵלַי respicere Rutha ad ultima Noomiae verba, quibus nunciarat illa, Boazum esse familiae Elimelekhi cognatum ob eamque consanguinitatem unum ex redemptoribus Ruthae. Quem nuncium necopinatum laete excipit Rutha et illico respondet: ob eam quoque causam dixit mihi cet. i. e. nunc demum cognosco atque perspicio, qua causa inductus ille vir tam humaniter tamque benevole me, quamvis alienigena sim eique ignota, tractarit; quoniam affinitatis vinculo cum ipso coniuncta sum, me apud suos servos ancillasque in suo agro manere singulari comitate iussit, saluti meae quam maxime consulturus.

II, 23. וַתֵּשֶׁב אֶת־חֲמוֹתָהּ.

Int. LXX, Syr., Vulg., Ar., Aeth. coniungunt haec verba cum insequente capite III, qua re sensus minime mutatur. Int. Syr. Hex. et Graec. Ven. tantum conservant ordinem textus masoretici. Vulg.: postquam autem reversa est ad socrum suam, legit וַתָּשָׁב אֶל־חמ׳, quam lectionem nonnulli codices re vera praebent. Hieronymi translationem secutus est Lutherus: und kam wider zu jrer Schwiger.

III, 1. אֲשֶׁר יִיטַב לָךְ

Bene vertunt int. LXX: *ἵνα εὖ γένηταί σοι.* (Syr. Hex. ܐܝܟ ܕܫܦܝܪ: ܢܗܘܐ ܠܟܝ). Syr.: ܘܐܛܐܒ ܠܟܝ. Vulg.: et provid ebo, u t bene sit tibi. Chald.: בְּגִין דְּיִיטַב לָךְ. Lutherus: das dirs wol gehe. Etenim אֲשֶׁר saepenumero usurpatur pro כַּאֲשֶׁר, Gen. 40, 14, vel pro לְמַעַן, Gen. 12, 13. 24, 3. Deut. 4, 40. 5, 16. Jer. 7, 23 (cf. Ges. gramm. § 155, 3. 127, 3 a.) et tempore imperfecto יִיטַב utuntur Hebraei plerumque impersonaliter, cf. Gen. 12, 13. 40, 14. 45, 16. Lev. 10, 19. 20. Deut. 4, 40. Minus recte igitur Carpzovius et Rosenmüllerus אֲשֶׁר h. l pronominis relativi obtinere vicem et ad substantivum מָנוֹחַ referendum esse putarunt, praeeunte hac in re iam interprete Graeco Veneto: *ἀνάπαυλαν*, *ἥτις ἀγαθυνεῖ σοι.*

III, 2. הַלָּיְלָה.

Int. LXX: *ταύτῃ τῇ νυκτί.* Perquam accommodate enucleatur sensus brevi circumlocutione in Tărgûm: בְּרוּחָא דִי בְלֵילְיָא „*in vento, qui noctu flat.*“ Boazus enim selegerat tempus vespertinum nocturnumve ad ventilandum in area hordeum, ut vento illo, qui in terris ad orientem vergentibus prima nocte surgere solet, adiuvaretur in granis ventilando a palea perpurgandis.

III, 3. וָסַכְתְּ.

In Tărgûm additur בוּסְמָנִין „*unguentis balsaminis.*“ R. ’Ibn ʿEzrâ explicat: שמן שיש לו ריח טוב כן מנהג גדולי ישראל אנשים ונשים „*[ungues te] oleo, cui bonus odor est; sic mos erat magnorum Israëlis, virorum et mulierum.*“ Sed cum Rutha, utpote femina sub egestatis onere laborans, in numero magnorum vix reponi possit, rectius certe arbitrere, illam unxisse se simplici oleo, nullis odoribus permixto.

III, 3. וְשַׂמְתְּ שִׂמְלֹתַיִךְ עָלַיִךְ.

Syr.: ܘܐܨܛܒܬܝ ܒܐܣܛܠܝܟܝ „*et orna te vestimentis tuis.*“ Vulg.: et induere cultioribus vestimentis. Chald.: וְתִשְׁוִּיאִי תִּכְשִׁיטִין עֲלָךְ „*et pones ornamenta super te.*“ רש"י: בגדים של שבת „*vestes sabbatariae*“; R. ’Ibn ʿEzrâ: הטובות שלא היתה קוצרה בהן „*[vestes] optimae, quibus induta non messuerat.*“ In textu masoretico dicitur solum: indue tibi amicula (שִׂמְלָה), quibus Hebraei domi morantes non amicti esse solebant et quae foras euntes super tunicam (כֻּתֹּנֶת) ponebant. — Lectio multorum codicum שִׂמְלָתֵךְ (num. sing.) ad hunc locum haud male quadrat, quoniam Rutha,

quae mulier paupercula socrui suae sibique spicilegio victum quaerere debebat, solum uno amiculo instructa fuisse putanda est. Numerum singularem legerunt int. LXX: *καὶ περιθήσεις τὸν ἱματισμόν σου ἐπὶ σέ*, et Lutherus: vnd lege d e i n K l e i d an.

III, 5. תֹּאמְרִי.

Post hanc vocem Māsôrâ vult inseri אֵלַי tamquam קרי ולא כתיב; quod quidem additamentum prorsus supervacaneum est, quoniam sensus enunciati per se penitus percipi potest. Voculam אֵלַי exprimunt int. Syr.: ܘܐܡܪܬ݂ ܠܝ ܟܠ, et Chaldaeus: תֵּימְרִין לִי, atque Aeth. et Syr. Hex., omittunt int. LXX, Vulg., Ar., Graec. Ven. Eius modi קריין ולא כתיבן iam in Gemārâ Bāḇlîṯ. in Mässĕkĕṯ Neḏārîm 37 b. 38 a. enumerantur septem: 2 Sam. 8, 3. 16, 23. Jer. 31, 38. 50, 29. Rûṯ II, 11 [quo loco Mäddĭnḥāʾê, non autem Măʿărbāʾê supplent את post כל]. III, 5. 17., accedunt Iud. 20, 13. 2 Sam. 18, 20. 2 Reg. 19, 31. 37. His parvulis additamentis indicantur vel perveteres glossae (cf. Eichhorn. Einl. i. d. A. T. I § 152) vel, id quod mihi magis arridet, variae variorum codicum lectiones (cf. Geiger, Urschrift, p. 254).

III, 8. וַיִּלָּפֵת.

Rectissime Graec. Ven: *καὶ κέκλιται*, scil. ut cognosceret, quae ad ipsius pedes agerentur. Item explicant Cappellus, Gesenius, Rosenmüllerus, Bertheaus. Cf. Arabum لَفَتَ, in forma VIII اِلْتَفَتَ „*se inflexit, se convertit ad aliquem*,“ Qur. 11, 83. Perperam LXX: *καὶ ἐταράχθη*, Syr.: ܘܬܘܗ „*et obstupuit*,“ Ar.: وَتَعَجَّبَ „*et admiratus est*,“ Vulg: et conturbatus est, Chald.: וּרְתַת „*et contremuit*,“ dein ex suo ingenio addit: וְאִתְרְכִיךְ כְּלִפְתָּא בִשְׂרֵיהּ מִן רְתִיתָא „*et mollita est sicut rapa caro eius prae tremore*,“ forsitan ideo, quod verbum לָפַת cum Aramaeorum לִפְתָּא et Rabbinorum לֶפֶת „*rapa*“ quodam significationis vinculo connexum esse arbitrabatur.

III. 9. כְּנָפֶךָ.

Simplex vocabulum כָּנָף h. l. idem valet ac כְּנַף — הַמְּעִיל Num. 15, 38. 1 Sam. 24, 5. 6. vel כ׳ הַכְּסוּת Deut. 22, 12. Sic locum intellexerunt Syr.: ܟܢܦܐ ܕܡܪܛܘܛܟ et Hieron.: p a l l i u m t u u m atque Chaldaeus, qui circuitu plurium verborum vertit: וְיִתְקְרֵי שְׁמָךְ עַל אַמְתָּךְ לְמִסְּבִי לְאִנְתּוּ „*et vocetur nomen tuum super ancilla tua, eo quod me ducis uxorem.*“ Perbene interpretatur רש״י: כנף בגדיך לכסותי בטליתך והוא לשון נשואין „*o r a v e s t i u m*

tuarum, ut me tegas pallio tuo; est autem significatio sponsalium." Cf. Deut. 22, 30. 23, 1. 27, 10. 20. Ez. 16, 8. Veteres interpretes, excepto Graeco Veneto: τενεῖς οὖν τὰς πτέρυγάς σου ἐπὶ τῆς θεραπαίνης σου, legerunt num. sing. כְּנָפְךָ, LXX: τὸ πτερύγιόν σου, ac re vera vox כָּנָף sensu symbolico in singulari tantum usurpata fuisse videtur, non autem in duali, quem numerum Masoretae vocalibus a se additis, nescio an perperam, ingesserunt litteris כנפך.

III, 11. כָּל־שַׁעַר עַמִּי.

Circumloquuntur int. LXX: πᾶσα φυλὴ λαοῦ μου, Vulg.: omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae, Lutherus: die gantze Stad meins Volcks.

III, 14. וַיֹּאמֶר.

Subiectum בֹּעַז adiciunt int. LXX et Vulg.

III, 14. אַל־יִוָּדַע כִּי־בָאָה הָאִשָּׁה הַגֹּרֶן.

His verbis Boazus non se convertit ad servos, ut est in Targûm, neque ad Rutham, ut Hieronymo placet, sed enunciatur potius iis a scriptore libri secreta sententia Boazi, cui Ruthae fama atque castitas, si ipsam apud virum pernoctasse patefieret, in gravem suspitionem videbantur vocatae. Itaque prorsus recte explicat R. 'Aḇĕn Dānâ: הטעם שאמר כן על לבו „*sensus est: dixit sic in animo suo*" i. e. secum cogitavit.

III, 15. הַמִּטְפַּחַת.

LXX: περίζωμα, quod vocabulum retinet Syr. Hex.: ܦܪܝܙܘܡܐ, [verum Jes. 3, 22 מִטְפָּחוֹת LXX: ἐπιβλήματα]. Syr.: ܡܥܦܪܬܐ. Chald.: סוּדָרָא (i. e. σουδάριον). Graec. Ven.: ἄμπυξ. R. Dāvîḏ Qĭmḥî, R. Lēvî bĕn Gĕrshôm, R. 'Aḇĕn Mĕlĕḵ: צעיף cf. Gen. 24, 65. 38, 14, LXX: θέριστρον, quod vocabulum Hesychius explicat per λεπτὸν ὕφασμα, θερινὸν ἱμάτιον. Hieronymus: pallium, et haec quidem translatio est rectissima, cf. Schroeder, de vest. mul. hebr. p. 264. Vocabulo מִטְפַּחַת, a radice טָפַח „*extendit*," significatur vestis ampla et sinuosa, nostratium Mantel.

III, 15. שֵׁשׁ־שְׂעֹרִים.

LXX: ἓξ κριθῶν, Syr. Hex.: ܫܬ ܕܣܥܪܐ, omittunt, qualis fuerit mensura Chald.: שִׁית סְאִין דִּסְעוֹרִין VI seâ i. e. II 'êphâ, quod onus certe est gravius, quam quod mulier portare possit; itaque addit statim: וְאִתְיְהִיב לַהּ כֹּחַ מִן־קֳדָם יְיָ לְסוֹבָרוּתְהוֹן „*et venit ei robur a Domino ad eas* [*scil. VI seâ*] *portandas.*" רש"י refutat sententiam Chaldaei: אי איפשר לומר שש סאין שאין דרכה של אשה לשאת

במשאוי זה „*non potest dici VI seâ, quoniam non solet mulier portare tantum onus.*" Recte vertunt int. Syr.: ܫܬܐ ܣ̈ܐܝܢ ܕܣܥܪ̈ܐ et Vulg.: sex modios hordeorum. Quanta mensura sit intellegenda, certius definiri nequit; acquiescamus in eo, quod dicit Rabbinus quidam: במדה היוצאה ורגיל בעיר „*in ea mensura, quae usitata erat et tralaticia in illa urbe.*" In textu hebraico ex verbo praecedente וַיָּמָד substantivum מִדּוֹת esse supplendum, dudum recte perspexerunt R. Lēvî bĕn Gĕrshôm et R. 'Abĕn Mĕlĕk. Similes detractiones substantivi verbo propinqui exstant Esth. 5, 1: וַתִּלְבַּשׁ אֶסְתֵּר מַלְכוּת, plenius erat scribendum ותל' אס' לְבוּשׁ מל', cf. ibidem 6, 8. 8, 15, et Ps. 13, 4: פֶּן אִישַׁן הַמָּוֶת i. e. פ' א' שְׁנַת המ', cf. Jer. 51, 39. 57.

III, 15. וַיָּבֹא הָעִיר.

„*Et pervenit [Boazus] in urbem.*" Sic recte Chaldaeus: וְעַל בּוֹעַז לְקַרְתָּא et LXX, licet ex eorum translatione *καὶ εἰςῆλθεν εἰς τὴν πόλιν* nequaquam appareat, quae persona sit subiectum verbi, sed e versu subsequente utique potest elici; ibi enim adiciunt ad verbum *εἰςῆλθεν* subiectum *Ῥούθ*, retulerunt igitur priore loco verbum *εἰςῆλθεν* recte ad Boazum. Paulus Telensis quidem vertit gen. femin.: ܘܥܠܬ ܠܡܕܝܢܬܐ, sed int. LXX h. l. non prorsus intellexit. Syrum: ܘܫܩܠܬ ܘܐܬܬ ܠܡܕܝܢܬܐ „*et portavit et venit in urbem*" et Hieronymum: quae portans ingressa est civitatem, legisse וַתָּבֹא, veri admodum simile est, praesertim cum eam lectionem haud pauci codices exhibeant.

III, 17. Ad vocem אֵלַי iussu Masoretarum post verbum אָמַר in textum inserendam, quam vocem re vera expresserunt int. LXX, (Syr. Hex. et Aeth.), Syr., (Ar.), Chald., Graec. Ven., conferas, quae supra commemoravi ad III, 5.

IV, 1. אֲשֶׁר דִּבֶּר.

Recte Vulg.: de quo sq., cf. Gen. 19, 21. 22, 2. 3. 23, 16. 1 Reg. 8, 29. 13, 3.

IV, 1. פְּלֹנִי אַלְמֹנִי.

Interpretes varii vario modo reddunt haec duo verba: LXX in Cod. Vatic. *κρύφιε*, in Cod. Alex. *κρυφῆ*; Syr. Hex. ܐܢܫܝܢ, statim addit ܗܘ ܕܝܢ ܐܡܪ ܡܢ ܗܘ ܐܢܬ ܐܢܫܝܢ, in vertendo fortasse usus ea interpretum LXX recensione, in qua idem additamentum exstabat, quod nonnulli codicum nostrorum praebent: *ὁ δὲ εἶπεν, τίς εἶ σὺ κρύφιε*; Similiter pluribus verbis reddit Syr.: ܗܘ ܕܝ

ܐܡܪ ܠܗ ܡܢܘ „*ille autem dixit ei: quis est ille?*" Omnes hi interpretes non satis intellexerunt, quid sibi vellet illa locutio. Nec minus Lutherus errat, cum vertit in edit. a. 1545: etwa hie oder daher, ad quae verba illustranda adiungit hanc explicationem: wo du hin wilt, denn das Hebräische Peloni Almoni ist ein Nahme eines ungewissen Orts; in ed. a. 1539 rectius verterat: wie du heissest. Propius ad verum accesserunt Graec. Ven.: ὦ τᾶν σιωπητέ, et Chald.: גְּבַר דִּצְנִיעָן אוֹרְחָתֵיהּ „*vir, cuius viae sunt absconditae*" i. e. vir, de cuius vita nil notum est (quam interpretationem Buxtorfius in Lexico Chaldaico p. 1929 protulit: „*vir, cuius modestae sunt viae id est rectae et probae,*" eam non esse iustam iudico), et Hieron.: vocans eum nomine suo. Iam genuinam interpretationem eruamus. Ac ter tantum locutio פְּלֹנִי אַלְמֹנִי invenitur in V. T.: 1 Sam. 21, 3. 2 Reg. 6, 8. Rût IV, 1. Semper significat personam, numquam autem locum; id ita esse, ex eo colligitur, quod duobus prioribus, quos laudavi, locis vocabulum antecedens in statu constructo positum est: אֶל־מְקוֹם פל' אל', itaque minus recte verterunt de Wetteus: „*an denjenigen Ort,*" „*an demjenigen Orte*" et Bunsenius: „*an den und den Ort,*" „*da und da,*" erat potius vertendum: an den [dem] Ort des und des sive des N. N. Hoc loco Rût IV, 1. viri illius, cum quo agitur (גֹּאֵל), nominis proprii vices obeunt vocabula פְּלֹנִי אַלְמֹנִי. Qua causa commotus scriptor libri verum nomen hic non tradiderit, sane est, quod anquiras. Id scriptori ignotum fuisse, persuadere mihi non possum, quoniam ille omnium reliquarum personarum in libro agentium nomina probe sciebat; simplicibus autem verbis, quae רש"י ex inveterata traditione deprompsisse mihi videtur, ולא כתב שמו לפי שלא אבה לגאול „*[scriptor] non scripsit eius nomen, quia ille noluit redimere,*" adducor, ut coniciam, nomen illius Goëlis a scriptore esse consulto suppressum, quod arbitraretur, nomen eius, qui mori sollemni et antiquitus sacrato satisfacere nollet recusaretque, ne cognati mortui nomen filio ex eius vidua procreando conservaret apud populares, omnino non dignum esse, quod memoriae posteritatis proderetur, idque iure ac merito perpetua oblivione esse obruendum.

Ad alicuius nomen proprium, quod, licet silentio tegatur, tamen qualibet ratione exprimendum est, reddendum utuntur Syri vocabulo ܦܠܢ, Arabes فُلَانٌ, quod vocabulum in Hispanorum linguam transiit: fulano, Rabbini פְּלָן, פְּלָנְיָא in masc. et פְּלוֹנִית, פְּלַנְיְתָא in fem.,

item שׁוּם בַּר נָשׁ, Graeci pronominibus ὁ δεῖνα, Matth. 26, 18, et οὗτος, Soph. Ai. 71. Oed. R. 532, Romani vulgari praenomine Cai, Francogalli signo * * * (les trois étoiles), Germani litteris N. N. i. e. nomen nominandum, sive nomen notetur, sive nomen nescio.

Sic hunc locum esse enucleandum, iam Rabbini dispexerunt. Namque R. 'A<u>b</u>ĕn Mĕlĕ<u>k</u> adnotat haec: האיש המכוסה שמו אצל הזוכר אותו יאמרו עליו פלוני וא״על שהוא ידוע אצל הזוכר אותו ואינו רוצה לקרותו בשמו ואמר עליו וכן רבותינו ז״ל הרגילו בלשונם כזה „*cuius nomen est occultum ei, qui de ipso refert, hunc virum appellant* פְּלֹנִי, *et etiamsi notum est ei, qui de eo refert, attamen ille non vult eum appellare nomine suo, nominatur sic; atque ita doctores nostri beatae memoriae facere solent in lingua sua ut hic*;" אלמני' נקרא כן לפי שלא ידובר שמו מן אלם „*appellatur* אַלְמֹנִי *propterea, quod non effertur nomen eius, a radice* אָלַם" „*constrictus fuit, c. f. lingua i. e. mutus fuit.*"

Quod vocabulum interpretes recentiores hic commemorare solent פַּלְמֹנִי Dan. 8, 13, id significatione quidem recte affertur, cave autem, ne illis auctoribus putes, esse id contractum ex ambobus vocabulis פְּלֹנִי אַלְמֹנִי, potius assentiendum est viro doctissimo Ernesto Meiero, qui censet, locutionem primitus fuisse פלמני אל' [id quod comprobari mihi videtur lectione Codicis Alex. 1 Sam. 21, 3: *Φελμωνὶ 'Αλμωνί* i. e. פלמני אל'[1]], deinde autem prius vocabulum פַּלְמֹנִי esse correptum, ut efferretur פְּלֹנִי; vocabulum פַּלְמֹנִי esse derivandnm a radice פלם i. q. בלם syr. ܒܠܡ „*constrinxit*" (Deut. 25, 4. 1 Cor. 9, 9. 1 Tim. 5, 18 in Pesh. et cf. ad litterarum ב et פ permutationem haud ita vulgarem: בִּזַּר et פִּזַּר „*dispersit;*" hebr. בַּרְזֶל, syr. ܦܪܙܠܐ „*ferrum;*" chald. בְּנַס „*iratus est*" Dan. 2, 12., samar. ࠁࠋࠌ „*iratum reddidit*" Deut. 32, 16. 21.), ita ut voce פַּלְמֹנִי significetur „*constrictus, tacitus, ignotus,*" non autem, id quod Gesenio perplacet, „*distinctus, definitus*" (a radice פלה „*secrevit, distinxit*"), id quod prorsus contrarium est ei, quod est significandum[2]). Radicem verbi in ם- cadere, non in

1) Cf. Eusebii Onomasticon s. v., ed. Larsow et Parthey, Berolini 1862, p. 360—361:

Eusebius:	Hieronymus:
Φελμονὶ ἀλμωνί. 'Ακύλας τὸν δεινα τοῦδε τινός. Σύμμαχος τὸν δεῖνα τόπον. Θεοδοτίων τόνδε τινὰ Ελμωνί.	Felmoni almoni, quod Aquila interpretatur: illum vel istum, Symmachus vero: nescio quem locum, Theodotion: illum locum Elmon, cet.

2) Vide: Hebräisches Wurzelwörterbuch von Ernst Meier. Mannheim 1845. p. 225. 643 sq.

־ה, comprobatur mihi similium vocabulorum exemplis: אַלְמֹנִי a אלם, אַדְמֹנִי a אדם, קַדְמֹנִי a קדם, חַכְמֹנִי a חכם.

IV, 2. וַיִּקַּח.

Subiectum בֹּעַז recte supplent int. LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Vulg.

IV, 3. מָכְרָה נָעֳמִי.

Locus est sane difficilis et a criticis multum vexatus. Mea quidem sententia Syrus locum perbene expedivi una vocula ܠܝ apposita: ܙܒܢܬ ܠܝ „*vendidit mihi*,“ quem auctorem secutus est Arabs: نُعْمَا بَاعَتْنِي. Boazus dativum לִי mente quidem complectitur, quoniam diserte promiserat, semet ipsum sibi Rutham certe redempturum esse (vide III, 13), non autem enunciat, cuinam ager sit venditatus, sed potius satis ambigue loquitur, ut animum Goëlis temptet neve eum a redemptione deterreat. Agrum re vera veniisse, idoneis argumentis non potest probari, potius tempore perfecto מָכְרָה significatur firmum consilium vendendi, quapropter rectissime verterunt Hieronymus: vendet, Lutherus: beut feil, Vatablus: vendere decrevit, ego verto in patrium sermonem: „*hat Nŏʿŏmî mir so gut wie verkauft.*“ Qua quidem translatione leges grammaticae minime violantur, cf. Gen. 23, 11: הַשָּׂדֶה נָתַתִּי לָךְ „*agrum tibi dedi*“ i. e. dono tibi agrum, ibidem 23, 13: נָתַתִּי כֶּסֶף הַשָּׂדֶה „*pretium agri dedi*“ i. e. solvo agri pretium (Ges. gramm. § 126, 3. 4.). Quod si hoc modo vertitur: tamquam vendidit mihi, quaestiones illae criticae, quibus torquent se viri docti: cuinam atque quando venierit ager, brevissime optimeque expediuntur. Quo iure autem Noomia agrum vendere potuerit, non adeo definiri potest, ut nihil dubii relinquatur. Rabbini quidem nonnulli existimant, Noomiam nactam esse agrum donationis iure; alii iique haud pauci arbitrantur, Noomiam fuisse filiam hereditariam, cui ager primitus fuerit proprius atque ad quam emortuis et marito et filiis redierit. Sed cum non satis edocti simus, quaenam leges atque instituta ex legum de rebus hereditariis latarum copia apud veteres Israëlitas reapse servata fuerint, illa quaestio, reor, omnino persolvetur numquam.

Interpretum LXX textum hoc loco corruptum esse, patet. Legimus in editionibus hodiernis sic: *τὴν μερίδα τοῦ ἀγροῦ,*

ἣ ἐστι τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν τοῦ Ἐλιμέλεχ, ἣ δέδοται Νωεμὶν τῇ ἐπιστρεφούσῃ ἐξ ἀγροῦ Μωὰβ κἀγὼ εἶπα κτλ. Quo modo haec inter se cohaereant, viderit deus, homunculus profecto non dispicit. Nonne verba *ἣ δέδοται Νωεμὶν τῇ ἐπιστρεφούσῃ ἐξ ἀγροῦ Μωάβ* cum iis, quae praecedunt quaeque subsequuntur, efficiunt anacoluthon intolerabile? Age ad emendationis remedium iam confugiamus. Ac scribendum esse statuo: *τὴν μερίδα τοῦ ἀγροῦ, ἣ κτέ., ἀ π ο δ έ δ ο τ α ι Νωεμὶν ἡ ἐ π ι σ τ ρ έ φ ο υ σ α κτλ.*, nisi praeferas lectionem Codicis Coisliniani aliorumque: *ἀ π έ δ ο τ ο Ν. ἡ ἐπιστρέφουσα.* Quod si alterutrum scribitur, oratio fluit ac respondet archetypo hebraico.

IV, 4. וְאִם־לֹא תִגְאַל.

Tertia persona verbi (יִגְאַל) exstat in omnibus editionibus nostris, quamquam sententiarum contextu secunda persona 'תג desideratur et expostulatur. Quae quidem permutatio personae, quamvis in oratione poëtica, praecipue prophetarum, haud ita inusitata (cf. Jes. 47, 10. Mich. 1, 2. Hab. 2, 15. Ex. 27, 28. Deut. 32, 15.), tamen hoc loco in oratione soluta vix poterit defendi. Nonnulli viri docti censuerunt, verbis וְאִם־לֹא יִגְאַל Boazum se subito convertere ad senes, coram quibus agat; alii consonantes traditas יגאל religiose tueri conantes efferunt nĭph'ăl יִגָּאֵל „*redimetur*,“ sed eius modi ambagibus dura verborum structura minime mollitur. Loco pervetere mendo librarii afflicto optime medebimur, si in textu restituerimus personam secundam תִּגְאַל, quae omnibus vetustissimis interpretationibus abunde comprobatur: LXX: *εἰ δὲ μὴ ἀγχιστεύ εις* (item Aeth. et Syr. Hex.), Syr.: ܘܐܢ ܠܐ ܨܒܐ ܐܢܬ, (Ar.: وَإِنْ لَمْ تَطْلُبْ), Vulg.: displicet t i b i, Chald.: וְאִם לָא אִית רְעוּתָךְ [לְמִפְרוֹק] „*nisi autem est voluntas t u a* [*ut redimas*]“, Graec Ven: *εἰ μὴ λυτρῷ ο.* Lutherus: wil t u es aber nicht beerben.

IV, 5. וּמֵאֵת רוּת.

Locum non integrum esse, elucet ex coniectura Masoretarum: ואת סביר. Neque hanc quidem lectionem egomet iudico veram et genuinam; ratione habita verborum IV, 10: 'וְגַם אֶת־רוּת וגו scribendum esse pro וּמֵאֵת litteris duabus paullulum immutatis potius גַּם וְאֵת luce clarius est. Itaque sensus enunciati est: eo die, quo acquiris agrum a Noomia, R u t h a m e t i a m, viduam mortui, a c q u i r e s, (ad קָנִיתָ recte monet R. 'I**b**n ʿEzrâ: פועל עבר תחת עתיד

„perfectum loco futuri positum est“). Eodem modo legisse Hieronymum, veri est simillimum; vertit enim: Ruth quoque Moabitidem, quae uxor defuncti fuit, debes accipere, ad quam interpretationem se applicavit Lutherus: so mustu auch Ruth die Moabitin, des Verstorben Weib nemen. Syrus legit ואת: ܘܠܪܘܬ ܡܘܐܒܝܬܐ ܐܢܬܬܗ ܕܗܘ ܡܝܬܐ ܩܢܝ *„et Rutham Moabitidem, uxorem mortui, acquire,“* Arabs contra servavit lectionem ומאת: وَمِنْ رَاعُوثَ.

Int. LXX vulgarem lectionem וּמֵאֵת (sive וּמִיַּד, id quod praebent II codices) ante oculos habuisse videntur; ut autem sententia fieret absoluta et perfecta, adiecerunt perpauca: *καὶ παρὰ Ῥοὺϑ τῆς Μωαβίτιδος γυναικὸς τοῦ τεϑνηκότος, καὶ αὐτὴν κτήσασϑαί σε δεῖ.* Similiter רש״י circuitu quodam enunciat: אתה צריך לקנות והיא אינה מתרצה אלא אם כן תשאנה *„necesse est tu acquiras, sed illa non contenta erit, nisi ipsam sic in matrimonium duxeris.“* Nec minus assentiri videtur lectioni גַּם את ampla circumlocutio Chaldaei: וּמִן יְדָא דְרוּת מוֹאֲבִיתָא אִתַּת מֵיתָא חַיָּיב אַתְּ לְמִפְרוֹק וּבְעֵי לְיַבָּמָא יָתָהּ וּלְמִסְּבַהּ לְאִנְתּוּ מִן בְּגְלַל לַאֲקָמָא שׁוּם מֵיתָא עַל אַחְסַנְתֵּיהּ *„et a Rutha Moabitide, uxore mortui, obligatus es ad redimendum et coactus, eam adire iure leviratus eamque ducere uxorem, eo consilio ut suscites nomen mortui in possessione eius.“*

IV, 5. קָנִיתָ.

Māsôrâ praebet קָנִיתִי, sed קרי exhibet קָנִיתָ, quae lectio sententiae enunciati sola convenit et quam interpretes Vulg., Chald., Graec. Ven. re vera sequuntur. Int. LXX vertentes: *καὶ αὐτὴν κτήσασϑαί σε δεῖ,* legerunt קָנִיתָהּ, testibus quibusdam nostrorum codicum. Num autem Arabs: فَاقْتَنِى ذَلِكَ *„et possidebis hunc“* (scil. agrum) legerit קְנִיתוֹ, quae lectio viro docto Maurero in commentario suo haud displicet, equidem subdubito. Namque Arabs, etsi in ceteris Syro quasi in servitutem se addixit, hoc loco saltem ingenio suo aliquantulum indulgens a Syri auctoritate recessit, sensum quam aptissimum, ut putabat, loco illaturus.

IV, 6. פֶּן־אַשְׁחִית אֶת־נַחֲלָתִי.

„Ne perdam possessionem meam.“ His verbis certe haud incallide tergiversatur Goël ille; quid autem spectet quidve significet, de eo quam maxime discrepant interpretes et veteres et recentiores. Sat erit, hic in unum locum coartasse commenta veterum aliquot

interpretum. Syrus interpretatur: ܡܛܠ ܣܘܚܪܢܐ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܝܠܝ *„ob defectum fidei meae,“* item Arabs. Chaldaeus: עַל דְאִית לִי אִתְּתָא לֵית לִי רְשׁוּ לְמִסַּב אוֹחֲרַנִיתָא עֲלַהּ *„propterea quod mihi iam est uxor, non est mihi facultas ducendi aliam ad eam,“* et eodem modo Flavius Iosephus in Ant. Iud. V, 9. 4: *εἶναι δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη.* R. 'Ibn ʿEzrâ: היתה לו נחלה רבה ויש אומרים רמז על אשתו *„erat ei ampla possessio, sed sunt, qui dicant, illum indicare, sibi iam esse uxorem.“* R. Lēvî bĕn Gèrshôm: ר״ל שאם אפרע כסף הקנין הנה האמת אשחית את נחלתי שלא יהיה לי ממה לשכור עובדי אדמתי ותשאר שממה או אולי אצטרך למכור מנחלתי וכבר נתבאר בתורה שאין ראוי לגאל כשהיה הדבר בזה האופן *„dicere vult: si solvo pretium emptionis, ecce profecto perdam possessionem meam, nam non mihi erit merces, qua conducere possim cultores fundi mei idemque manebit desolatus, aut fortassis opus mihi erit, vendere partem possessionis meae, sed iam in Lege declaratum est, minime convenire redimere, si res sit hac conditione.“*

IV, 7. וְזֹאת.

Substantivum, quod ad hoc pronomen pertinet, in fine enunciati positum est: הַתְּעוּדָה. Interpretes varie explent ellipsin; LXX: *καὶ τοῦτο τὸ δικαίωμα κτλ.*, Vulg.: hic autem erat m o s cet., Chald.: וּבְהָדָא מִנְהֲגָא וגו׳, Lutherus: es war aber . . . eine solche G e w o n h e i t.

IV, 7. הַתְּעוּדָה.

LXX: *μαρτύριον*, Vulg.: testimonium cessionis, Syr. et Syr. Hex.: ܣܗܕܘܬܐ, Graec. Ven.: *ἡ μαρτύρησις.* R. 'Ibn ʿEzrâ: תע׳ מגזרת עדות על זה היו מעידים ויש מפרש במלת תעודה רגילות ומנהג והראשון הוא הנכון *„תע׳ derivandum est a radice* עוד*: de quo fuerunt testati; sed sunt, qui explicent vocem* תעודה *per* רְגִילוּת *i. e. „consuetudo“ et per* מִנְהָג *i. e. „mos,“ sed prior significatio est recta.“* Contra Gesenius in Lexico explicat: gesetzliche Gewohnheit, Sitte.

Ceterum mihi persuasissimum est, hunc totum versum ad morem sollemnem calcei in redemptionibus permutationibusque subtrahendi posteritati dilucide explicandum post demum, cum hic mos obsolevisset, in textum insertum esse. Haud dissimile additamentum posterioris aetatis exstare mihi videtur 1 Sam. 9, 9.

IV, 8. נַעֲלוֹ.

Post hoc verbum: *τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ* addiderunt int. LXX

ad sententiam complendam: *καὶ ἔδωκεν αὐτῷ* (item Aeth. et Syr. Hex.). Arabs addidit: وَدَفَعَهَا إِلَيْهِ. Conferas, si placet, quae ad I, 14 adnotavi.

IV, 9. עֵדִים אַתֶּם.

Chald. vertit: הֲווֹ סָהֲדִין אַתּוּן עֲלַי „*estote testes mei*!“ Haud male id quidem, melius autem modum indicativum expressit Vulg.: testes vos e s t i s.

IV, 10. מֵעִם אֶחָיו.

Graec. Ven. vertit: *ἐ κ τ ο ῦ λ ε ὼ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ,* legit sine dubio מֵעַם א׳, qua lectione perquam aptus, qui vocatur, parallelismus membrorum efficitur cum locutione statim sequente וּמִשַּׁעַר מְקוֹמוֹ *καὶ ἀπὸ τῆς πύλης τοῦ τόπου αὐτοῦ.* Equidem haud scio, an haec lectio מֵעַם א׳ sit praeferenda illi מֵעִם א׳[1]).

1) Opportunitate oblata facere non possum, quin me opponam sententiae a v. d. de Wetteo de Versione Graeca Veneta prolatae. Leguntur enim in illius theologi Introductione in V. T. in edit. I. § 56 (quae sententia usque in edit. VIII eamque novissimam, quam Eberardus Schraderus, professor theologiae Gissensis, nuper adornavit, ad verbum servata est, § 67) haec de Versione Graeca Veneta: „*Sie folgt unter häufiger Benutzung der LXX und der andern alten griechischen Uebersetzungen und Zuziehung der jüdischen Schriftausleger dem masorethischen* (*p u n c t i r t e n*) *Texte mit sclavischer Treue in einer buntgemischten Sprache, und ist für die Kritik von verhältnissmässig geringem Gewicht.*“ Idem censuit Fridericus Bleekius (Einl. in d. A. T. 2. A. p. 788): „*Der Codex ist etwa aus dem* 14. *Jahrhundert; die Abfassung der Uebersetzung wird meistens um einige Jahrhunderte früher gesetzt; s i e s e t z t j e d e n f a l l s u n s e r e n p u n c t i r t e n T e x t v o r a u s u n d s c h l i e s s t s i c h g e n a u a n d i e s e n a n.*“ Quorum doctorum sententiae etsi in universum me addicere non dubito, unum tamen magnopere addubito. Textu quidem usum esse illum interpretem nostro consimili, et ego pro certo habeo, addubitari autem potest, num textus ille re vera punctis atque notis masoreticis fuerit instructus. Quae dubitatio accurate comparato et libri Rût et Cantici Canticorum textu, qualem Versio Graeca Veneta praebet, mihi non modo non imminuta est, sed potius vehementissime adaucta. Rût I, 6: וַתָּשָׁב מִשְּׂדֵי וגו׳, Graec. Ven.: *καὶ ἐ κ α θ έ σ θ η ἐν τοῖς ἀγροῖς κτλ.* legit וַתֵּשֶׁב בִּשְׂדֵי.

I, 9: אִשָּׁה בֵּית אִישָׁהּ, Gr. Ven.: *ἑκατέρα οἴκοι ἑ κ α τ έ ρ α ς,* legit אִשָּׁה בֵּית אִשָּׁה.

I, 22: הַשָּׁבָה, quod verbum accentu מִלְעֵיל Masoretae pro perfecto habuerunt, Gr. Ven. accentu מִלְרַע insignivit et vertit: *ἡ ὑποστρέψασα*, et II, 16: *ἡ στραφεῖσα.*

Ad quam lectionem fulciendam iuvabit commemorasse, interpretes LXX quoque nonnullis locis עַם et עִם invicem permutasse. Ps. 47, 10: עַם אֱלֹהֵי אַבְרָהָם verterunt interpr. LXX: *μετὰ τοῦ θεοῦ Ἀβραάμ*, legentes עִם (cum כ״א), id quod ad sententiam illius loci haud male quadrat. Ps. 87, 4: הִנֵּה פְלֶשֶׁת וְצוֹר עִם־כּוּשׁ, LXX: *καὶ ἰδοὺ ἀλλόφυλοι καὶ Τύρος καὶ λαὸς Αἰθιόπων*, sed lectio עַם־כּוּשׁ non apta est illi loco, quapropter, ut omnia fierent plana, vox *καὶ* adiceretur oportebat. Ps. 110, 3: עַמְּךָ נְדָבֹת, LXX: *μετὰ σοῦ ἡ ἀρχή*, legerunt עִמְּךָ. Hos. 12, 1: וְעִם קְדוֹשִׁים, LXX: *καὶ ὁ λαὸς ἅγιος*, legerunt וְעַם קד׳. Prov. 30, 31: וּמֶלֶךְ אַלְקוּם עִמּוֹ, LXX: *καὶ βασιλεὺς δημηγορῶν ἐν ἔθνει*, legerunt, ni fallor, וּמֶלֶךְ אֵל־קוּם |בְּ|עַמּוֹ, sicuti locum interpretati sunt Syrus: ܘܡܠܟܐ ܕܡܡܠܠ ܒܗ ܒܥܡܗ et Chaldaeus: וּמַלְכָּא דְקָאֵם וּמְמַלֵּל בֵּית עַמְמֵיהּ.

II, 1: מוֹדַע לְאִישָׁהּ, Gr. Ven.: *ἔγνωστο τῇ γυναικί*, legit מְיֻדָּע קרי et לְאִשָּׁה.

II, 1: מִמִּשְׁפַּחַת, Gr. Ven.: *ἐν τῇ γενεᾷ* legisse videtur בְּמִ׳. Praeterea illum interpretem in suo textu כתיב ולא קרי non invenisse, elucet ex III, 12: וְעַתָּה כִּי אָמְנָם כִּי אם, quo loco vocula אם a Masoretis denotatur delenda, nihilo setius Graec. Ven. vertit verbum e verbo: *νῦν οὖν ὡς ὄντως ὅτιπερ εἰ κτέ.*

IV, 4: יִגְאַל, Gr. V.: *λυτρῷο* legit recte תִּגְ׳.

IV, 10: מֵעִם אֶחָיו, Gr. V.: *ἐκ τοῦ λεὼ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ* legit מֵעַם א׳.

Cant. Cant. I, 5: כְּאָהֳלֵי, Gr. V.: *ἐν ταῖς σκηναῖς*, legit בְּאָ׳.

I, 16: רַעֲנָנָה (i. e. fem. adiectivi רַעֲנָן) Gr. V.: *τέθηλεν* legit רַעֲנְנָה (i. e. perfectum pĭl'ēl).

I, 17: Gr. V. legit רְהִיטֵנוּ קרי *οἱ διάδρομοι ἡμῶν.*

III, 6: תִּימְרוֹת Gr. V.: *φοίνικες* legisse videtur תְּמָרִים vel potius תִּמֹּרוֹת.

IV, 4: לְתַלְפִּיּוֹת אֶלֶף הַמָּגֵן Gr. Ven. coniunxit verba: *εἰς ἐπάλξεις χιλίας*, certe propterea quod accentum 'ăṭnăḥ in suo exemplari non habuit.

VII, 10: שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים Gr. V.: *χείλεσι παλαιῶν* legit שׂ׳ יְשָׁנִים.

Ex omnibus his locis facile colligitur, Versionem Graecam Venetam esse confectam ex codice manu scripto, in quo cum lectiones haud paucae a masoreticis plus minus discrepantes exstiterint tum maxime vocales et accentus consonantibus neutiquam fuerint appicta.

De Versione Graeca Veneta plures observationes hic adnectere, abhorret a proposito meo; eas emittere alias mihi in animo est. Utinam doctor rerum ad codices spectantium peritus unicum illum codicem satis accurate et cum apparatu critico quam primum edat! Ea nimirum editio, quam d'Ansse de Villoison paravit Argentorati a. MDCCLXXXIV, ne minimis quidem virorum doctorum huius aetatis satisfacit desideriis.

IV, 11: עֵדִים.

Pronomen אֲנַחְנוּ omissum supplevit Syrus: ܣܗܕܝܢܢ. Conferas simillimum exemplum Jos. 24, 22: עֵדִים, Syr.: ܣܗܕܝܢ ܚܢܢ.

IV, 15. אֲשֶׁר־הִיא טוֹבָה לָךְ מִשִּׁבְעָה בָּנִים.

Locutio est proverbialis, cf. 1 Sam. 1, 8. 2, 5. Numero septem in sermone hebraico inest notio parvae multitudinis, quam certe definire non libet; itaque rectissime Chaldaeus: מִסַּגִּיאִין בְּנִין „*quam multi filii.*" Non alienum videtur, laudare hic Rabbinum quendam, qui clarissimi Sā'ădjâ nomen perperam prae se fert; adnotat enim ad Cant. Cant. IV, 4: אֶלֶף הַמָּגֵן haec: וכל מה שבמקרא מן שש ושבע מאה אינם מספר כי אם הרבה „*quovis Scripturae loco, quo dicitur de sex, de septem sive de centum, ibi non intellegendus est certus numerus, sed potius quaedam multitudo*[1]."

IV, 20—21. שַׂלְמָה וְשַׂלְמוֹן.

Nomina haec propria, unum statim post alterum collocatum, significant, quamvis syllaba finali aliquantulum inter se dissona, unam eandemque personam. Simile exemplum afferri potest Gen. 4, 18: מְחוּיָאֵל וּמְחִיָּיאֵל. Lectio שַׂלְמוֹן, in ־וֹן cadens, est multo usitatior atque auctoritate vetustissimorum interpretum (LXX (Aeth. et Syr. Hex.), Vulg.) omnino probata; nec minus Matth. 1, 3. 4. Luc. 3, 32 favent illi lectioni. Quocirca, ut lectionis aequalitas restituatur, scribendum propono: שַׂלְמוֹן וְשַׂלְמוֹן, licet legant plurimi codices primo loco שַׂלְמָה [cf. 1 Par. 2, 11 שַׂלְמָא, sed LXX in Cod. Vat. Σαλμών, in C. Al. Σαλμάν praebent], quam lectionem Lutherus, certe eodem aequalitatis studio inductus, usurpavit utroque loco.

IV, 22. אֶת־דָּוִד.

Interpretes LXX in Cod. Alex. (non autem Aeth. nec Syr.-Hex.), Vulg. (sed tantummodo in nonnullis codicibus), Syrus (eoque auctore Ar.) translationem hic praebent, velut si legerint: אֶת־דָּוִד הַמֶּלֶךְ, cui lectioni quadamtenus assentiuntur Matth. 1, 6: τὸν Δαυεὶδ τὸν βασιλέα et Chaldaeus: מַלְכָּא דְיִשְׂרָאֵל. Sed arbitror equidem, hoc additamentum redundasse ex ingenio illorum interpretum, quippe qui titulo regio Davidis nomini adiuncto regem illum nobilissimum, splendidum illud populi Israëlitici decus, quam maxime

---

1) Conferas: Ewald und Dukes, Beiträge zur Geschichte der ältesten Auslegung und Spracherklärung des A. T. Stuttgart 1844. II, p. 109.

ornare vellent ac celebrare, sicut et interpres Arabicus hoc loco pium illum principem non nominat, nisi nuncupato pio voto: عليه أفضل السلام *„super eo sit praestantissima pax!“*

Ex omnibus his, quae quantula sint haud ignoro, dilucide apparet, ex vetustissimis translationibus Veteris Testamenti multis locis simplicem eamque genuinam utique posse depromi interpretationem. Ope enim illarum translationum mihi licuit, primum locis quibusdam textum hebraicum libri Rûṯ emendare (II, 18. IV, 4. 5. 20.), deinde nonnullis formas grammaticas certe definire (I, 1. 13 19. 22. II, 1. 9. 13. 16. 20. IV, 5.), tum multis locutionum sententias vere exponere (I, 4. 13. 21. II, 1. 4. 5. 7. 11. 13. 14. 23 III, 11. 14. 15. IV, 1. 6. 10. 15.), tum pluribus vocabulorum significationes ostendere (I, 2. 6. 10. 13. 15. 20. 21. II, 8. 13. 14. 16. III, 1. 2. 8. 9. 15. IV, 1. 7.), denique plurimis sensum enunciatorum additamentis parvulis ab ipsis interpretibus factis excutere et explicare (I, 1. 3. 8. 12. 14. 15. 18. 19. 21. II, 2. 3. 9. 17. 18. III, 3 5. 14. 15. 17. IV, 2. 3. 7. 8. 9. 11. 22.).

Itaque vetustissimos interpretes esse summi momenti ad V. T. accurate cognoscendum penitusque intellegendum, nemo profecto infitiabitur. Nihilo minus tamen plerique eorum doctorum, qui nostra aetate ad commentarios in libros sacros conscribendos se accingunt, illos interpretes vel numquam vel raro consulunt, sed interpretationis auctoritate testium idoneorum stabilitae loco malunt proferre ipsorum opinionum commenta. Qua levi ratione interpretandi saepenumero textus non illustratur, sed obscuratur, non ornatur simplici iustaque explicatione, sed oneratur potius mole futilium commenticiarumque sententiarum. Revertendum est igitur in interpretando Vetere Testamento ad fontes universae nostrae interpretationis ex iisque quid verum sit ac rectum hauriendum. Qua in re persaepe adiuvamur Rabbinorum scriptis, quae apud Christianos tenebris tamquam involuta iacere sane dolendum est, quoniam in iis exegetica traditio nobis conservata est pura et incorrupta. Antiquissimis interpretibus simul cum Rabbinis in Vetere Testamento interpretando adhibitis invenitur plerumque interpretatio simplicissima eademque rectissima. Id ita esse, si opusculo meo luculenter demonstrasse mihi contigerit, me tempus et operam non perdidisse arbitrabor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Iud. 5, 30: שָׁלָל לְצַוְּארֵי recte interpretatus est Syrus: ܟܠ̈ܠܐ ܠܨܘ̈ܪܐ ܘܟ̈ܪܘܟܐ: nec scribendum est לְצַוָּארַי nec coniciendum cum Ewaldo שֵׁגָל.

II. 2 Sam. 15, 32. 16, 16 apud LXX: *XOYCIOAPXIETAI-POCΔAYIΔ* verba sic sunt distinguenda: *Χουσὶ ὁ Ἀρχί* [rectius scribendum *Ἀραχί*], *ἑταῖρος Δαυίδ*, non autem sic ut inepte exhibent editiones: *Χουσὶ ὁ ἀρχιεταῖρος Δαυίδ.*

III. Iob. 1, 6—12. 2, 1—7 a posteriorem, quam reliqua pars prologi, produnt originem.

IV. Sach. 3, 8 in Tărgûm: ארי הא אנא מיתי ית עבדי משיחא ויתגלי interpretatio innititur arte qabbalistica גמטריא.

V. Ez. 17, 5: קָח עַל מים רבים vertendum est: „luxurians super aquis multis."

VI. Ex subscriptione Ev. Marci in Peschîṭô: ܫܠܡ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܩܕܝܫܐ ܣܒܪܬܐ ܕܡܪܩܘܣ ܕܡܠܠ ܗܘܐ ܕܝܢ ܪܗܘܡܐܝܬ ܒܪܗܘܡܐ colligi non potest, illud evangelium latine conscriptum fuisse.

VII. Ps. 10, 8. 10. quae exstat vox, חֵלְכָה „infelix, miser", vox non est.

VIII. Versio Graeca Veneta confecta est ab homine Christiano ante aetatem Masoretarum.

CAROLVS LVDOVICVS FRIDERICVS HAMANN

DE VITA SVA.

Natus sum Idibus Novembribus anni MDCCCXLV Strelitiae Novae Megalopolitanorum patre ERNESTO HAMANNO, cuius patris optimi diem supremum ut quam remotissimum esse iubeat DEVM supplex oro, matre CAROLINA e gente FLEMMINGIA orta, cuius matris unice dilectae, quam DEVS nuper de hac luce sustulit, memoriam pie inviolateque servabo in perpetuum. Fide evangelica educatus sum eique toto pectore addictus et consecratus. Initiis eruditionis imbutus urbis patriae Gymnasium Carolinum frequentavi, deinde adnumeratus fui „CIVIBVS AEVI FVTVRI“ in Gymnasio Neoruppinensi, quae schola celeberrima viro humanissimo Guilelmo Schwartzio directore laetiora in dies incrementa capiebat et capit etiamnunc. Maturitatis testimonio instructus vere anni LXVII, cum studium sacrosanctae theologiae mihi ipse sumpsissem, Bonnam, ad illustrem illam Musarum sedem, migravi et a theologo gravissimo Guilelmo Krafftio, rectore magnifico, numero civium Universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae adscriptus viro venerabili Ioanni Petro Langeo, reverendi theologorum evangelicorum ordinis decano spectatissimo, nomen dedi. Elapsis autem tribus semestribus ac sollemnibus Universitatis semisaecularibus magno cum splendore concelebratis Athenas Rhenanas Rhenique amoenitates reliqui et clarissimam Universitatem Litterariam Fridericam Guilelmam Berolinensem adii. Cuius Universitatis civis a mathematico excellentissimo Ernesto Eduardo Kummero receptus nomenque professus apud decanum Isaacum Augustum Dornerum in urbe primaria Borussiae per semestre hibernum studiorum causa commoratus sum. Denique, studia ut absolverem, petii hanc inclytam Academiam Philippinam, cuius civium in numerum ab iureconsulto consultissimo Augusto Ubbelohdeo, vices prorectoris gerente, relatus alboque

adscriptus sum. Praeter theologica studia etiam in addiscendis linguis semiticis operam curamque collocavi.

Per quadriennium academicum, quo perfunctus sum, insigni sua ac salutari disciplina instituerunt me hice viri doctrinae ingeniique gloria praestantissimi:

Bonnenses Gildemeisterus, Hundeshagenius, Kamphausenius, Koehlerus, Krafftius, Langeus, Meyerus, Ritterus, Schaarschmidtius;

Berolinenses Benaryus, Dietericius, Gruppeus, Lepsius, Roedigerus, Straussius, Trendelenburgius, Weingartenius;

Marburgenses Dietrichius, Henkeus, Heppeus, Mangoldius, Rankeus, Schefferus, Weissenbornius.

Quibus praeceptoribus omnibus de me optime meritis gratias ago quam maximas. Imprimis autem theologos Marburgenses pia et grata memoria prosequor iidemque propter singularem, qua me quavis occasione data exornarunt, benevolentiam eximiaque in me meamque litterarum sacrarum scientiam merita animo pietatis ac verecundiae pleno, dum vivam, mihi colendi erunt et venerandi. Id si palam profiteor, nihil aliud quam satisfacere mihi videor officio sanctissimo.

Quod restat, DEO TER OPTVMO MAXVMO pietatem, venerationem, sanctimoniam adhibeo, quod me usque adhuc pro sua misericordia clementissime per vitam duxit, eumque supplice prece exoro, ut incepta mea etiam posthac prospere feliciterque procedere patiatur neve sinat me umquam deficere gratiam suam atque patrocinium!

Scribebam Marburgi Cattorum Kalendis Augustis anni MDCCCLXXI.

Lipsiae typis exscripsit G. Kreysing.